XL

EXPLICATIO
GENTILIUM
FABULARUM
ET
SUPERSTITIONUM,
QUARUM

IN SACRIS SCRIPTURIS

FIT MENTIO;



Vario hinc inde ſenſu, præter literalem, ut


ALLEGORICO, MORALI, ANAGOGICO &c.

EXORNATA

Per

R. P. CASPARUM HARTZHEIM

Societatis JESU Sacerdotem.



PATAVII Typis Seminarii MDCCXXXI.

Apud Joannem Manfrè.

SUPERIORUM PERMISSU, & PRIVILEGIO.

PRÆFATIO

AD LECTOREM BENEVOLUM.



Uanta ſit ſacrarum profunditas Literarum, quæ in illis lateat altitudo ſapientiæ, oſtendit S. Auguſtinus Epiſt. 3. ad Voluſianum; & quamvis ipſe in earum ſcientia fuerit verſatiſſimus, ingenue tamen de ſe fatetur: *Ego in S. Scripturis multo plura neſcio, quam ſcio*. Eſt enim S. Scriptura encyclopædia quædam, cujus perfecta intelligentia ſine omnium pene aliarum ſcientiarum notitia vix poteſt comparari; quare eaſdem ſcientias volunt SS. Bibliorum interpretes denotari per Ancillas iſtas, quas ait Salomon a Sapientia miſſas eſſe, ut *Proverb.* invitarent homines ad menſam propo- c.9.v. 3. ſitam, id eſt Scripturam intelligendam, ut explicat Venerabilis Beda. Ne tamen ab ejuſdem lectione terrerentur fidelium animi, & de illius intelligentia deſperarent, caverunt ſummopere SS. Patres, aliique innumeri, non tantum de ſuo in ſacris Literis profectu, ſed etiam proximorum ſolici-

ti. Collegerunt eum in finem speciales quasdam ex sacris Bibliis materias, quas explanarunt clarius, & longius deduxerunt; ut si quid legenti aut non perspicuum satis, aut intellectu difficile occurreret, rescire ex iis facile posset, & sibi satisfacere.

Sic fuerunt, qui ex quatuor Euangeliis collegere parabolas, ut Salmeròn; similitudines selectas ex tota Scriptura, Alardus Aemstelredamus; fasciculum similitudinum, Carolus Tongelli; metaphoras, Petra sancta; sylvam allegoriarum, Hieronymus Laureto; Adagia sacra, Delrio. Conscripserunt nonnulli eorum nomina, qui sacras Literas scriptis suis illustrarunt; ut Trithemius, Bellarminus, Possevinus, Antesignano S. Hieronymo in Prologo suo galeato, vel potius Eusebio. Reptilia ex Scripturis congregavit Bustamantius; quæ ad naturalem spectant Philosophiam, Valesius; Herbas, & arbores Levinus Lemnius; gemmas & lapides pretiosos Franciscus Eveus. Alii in unam quasi mensam contulerunt pondera, mensuras, & nummos, quorum fit in Scripturis mentio; ut

Ludo-

Ludovicus Alcasar, Tirinus, præeunte S. Epiphanio. Fuerunt, qui antilogias, seu textus in speciem contrarios conquisierunt, ut Richardus Monachus Cluniacensis, Zephirinus Cumiramius, Tirinus noster tom. 2. Duce S. Augustino. Comportarunt nonnulli in unam quasi panopliam arma veritatis & justitiæ, sive versus ex veteri, & novo Testamento ad expugnandam hæresin cum vitiis, & defendendam veræ fidei, & virtutum gloriam; ut Ignatius Godvvinus, & Antonius de Balinghem. Alii denique (ut plures omittam) in unam quasi aream nobis ob oculos collocarunt urbes, earum nomina, & loca, quæ in sacris Literis reperiuntur, cum explicatione aliqua; ut Adrichomius, Jacobus Bonfrerius, Duce S. Hieronymo, & eodem adhuc priore Eusebio.

Laudabili horum Patrum, & Interpretum Scripturæ exemplo, operæ pretium esset, si certæ ejusmodi materiæ ex Scripturis cum quadam Paraphrasi in unum quasi fasciculum redigerentur; præsertim si restaret materia, tali saltem forma ac methodo in unum Libellum hucusque forsan non

congesta; qualis est complectens Gentilium superstitiones & fabulas, non qualescunque, sed quarum in Scripturis tantum fit mentio. Horum vero notitia non modo utilis & jucunda, sed etiam pene necessaria videtur, ut quis Scripturas perfecte comprehendat. *Quod si aliquis contradicat, exponat quomodo de communi opinione sit sumptum. Vallis Titanorum in Libris Regum, Sirenæ, & Onocentauri in Isaia, Arcturus, & Orion, & Pleiades in Job, & cetera his similia: quæ utique vocabula gentilium fabularum & causas, & originem habent*. S. Hieronymus in Epist. ad Galat. cap. 3. sub initium. Quam frequens in sacris Literis mentio Lucorum, Excelsorum, Altarium, Templorum, rituum, ceremoniarum, Sacrificiorum, & Deorum Gentilium! horum omnium notitiam certo juvat habere in Compendio. Et hanc præsens dabit Opusculum, quod (ut insinuatum est antea) literali sensui alios subinde sensus adjunctos habet: ut ex tenebrarum collatione almæ ac veræ Lucis utilitas, suavitas, ac necessitas magis elucescat.

Quare, mi Lector benevole, si qui-

dem lectione Sacrarum Scripturarum, & intelligentia afficiaris, ſpero, gratum tibi fore hoc Opuſculum. Mihi ſuffecerit obſequium tibi præſtitiſſe, & in tanta Authorum S. Scripturam illuſtrare conantium copia, ad eundem finem ex umbra ſaltem lucis aliquid contuliſſe.

NOI REFORMATORI

Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la fede di revisione, ed approbazione del P. F. Gio: Pellegrino Galassi Inquisitore di Padova, nel Libro intitolato *Explicatio Gentilium Fabularum, & Superstitionum, quarum in Sacris Scripturis fit mentio &c. per R. P. Casparum Hartzheim ex Societate JESU*, non v' esser cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concedemo licenza a Gio: Manfrè Stampatore, che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Publiche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. 25. Giugno 1731.

(Carlo Ruzini Kav. Proc. Refor.
(
(Z. P.o Pasqualigo Refor.

Agostino Gadaldini Segretario.

Die 28. Giugno 1731.
Registrato nel Magistrato Eccellentissimo degli Esecutori contro la Bestemmia.

Gio: Ricani Notajo.



LIB. GENESIS

CAP. XV.

Ego Dominus, Qui eduxi te de Ur Chaldaeorum. Vers. 7.



Yrolatriam, seu cultum Ignis divinum fuisse antiquissimum, & omnibus pene Gentibus familiarem, tam sacræ quam profanæ tradunt historiæ. Originem suam a Chamo, vel perversa ejusdem progenie videtur traxisse: ita enim de eodem Lactantius: Hæc fuit prima Gens, quæ Deum ignoravit, quoniam Princeps ejus & conditor cultum Dei non accepit, maledictus a patre. Primogenitus Cham fuit Chus: (verba sunt Gregorii Turonensis) hic totius artis magicæ, imbuente Diabolo, & primus idololatriæ

L. 2. de orig. errorum c. 14.

latriæ

latriæ repertor -- ſtellas & ignem de cælo labi magicis artibus mentiebatur. *Porro Chus genuit Nemrod;* de quo ita canit Claudius Marius Victor Poeta Chriſtianus:

Gen. c. 10.

Moxque parum ſano genitus de ſtemmate Nemrod;
Mole & mente gigas, Babylonis præditus aula,
Perſarum capiens animos, venerator iniquus,
A puris ſacris Domini traduxit ad ignem.

Fuit autem principium regni ejus Babylon Chaldaicarum Gentium caput; ut enim notat Adrichomius, Babyloniæ paret, eique adhæret Chaldæa Arabiæ deſertæ finitima, cujus incolæ ab Arphaxad filio Sem orti fuere, & inde progenitores Abrahæ, qui, cum viverent commixti Babyloniis, ſuperſtitionem eorum pariter, & *ceremonias patrum ſuorum, quæ in multitudine Deorum erant*, didicere, incolentes urbem, vel regionem Ur dictam, a cultu ignis ſic nominatam: Or enim vel Ur Hebraice ignem, lucem aut ſplendorem ſignificat; & inde videtur derivatum latinum verbum uro, & Græcum nomen πῦρ ablata enim litera π habes υρ, quidni & Germanicum Feur?

Judith. c. 5. v. 6.

Becman de orig. latin. linguæ in verbo uro.

Eſdras ſacerdos l. 2. teſtatur claris verbis, Abrahamum *de igne Chaldæorum* eductum eſſe. An vero ex ipſo igne ereptus ſit,

sit, vel e patria aut urbe sic dicta ob latriam ignis, eductus, incertum est. S. Augustinus, & Josephus Historicus, aliique ajunt, Abrahamum ideo persecutionem sustinuisse, quod nefariæ religioni avorum suorum, & divino ignis cultui consentire recusaverit; sed Dei adjutorio a persecutione illa liberatum, atque ita de Ur Chaldæorum eductum. Imo Judæorum est traditio secundum S. Hieronymum non improbabilis, illum a Chaldæis in ignem conjectum fuisse, sed divinæ manus beneficio ereptum. Nec mirum est tali zelo Chaldæos pro ignis cultu exarsisse. Gloriabantur enim, teste Suida, & Ruffino, ignem Deum suum invictum esse, qui ligneos, fictiles, æneosque gentium aliarum Deos consumeret; quæ tamen eorum gloria brevi in fumum & in auras evanuit; referunt enim paulo ante memorati scriptores, quod Canopi sacerdos hydriam aqua plenam simulacri aut idoli ad instar efformarit, & foraminibus hinc inde factis, sed cera obturatis, ita tamen ut dolus adverti non posset, Igni Chaldæorum Deo imposuerit, simulque, dum cera calore liquefacta ubertim aqua efflueret, omnem eorum gloriam cum igne extinxerit. Atque utinam omnis pariter superstitiosus ille cultus fuisset extinctus: non solum in Chaldæa mansit, & in Ægypto, quæ sub nomi-

ne Seraphin ignem venerata est, & eundem ut immortalem in delubris servavit, teste Porphyrio, sed inde in orbem pene universum est propagatus. Medi, & Persæ maxima ignem religione coluerunt, & suo nomine Urismada appellarunt; cum solenni pompa eum circumferrent, trecenti & sexaginta quinque sacerdotes solebant præcedere, ut numerus diebus anni congrueret. Mexicanos ignem coluisse notat Herrera dec. 3. l. 2. c. 15. Sinas quoque, apud quos natum Zoroastrem volunt Persæ recentiores, ignem adorare, & injecti succini crematione colere peregrinatores narrant. Apud Dugbumos etiam, Benjamino Tudelensi memoratos, & in Asiæ Insulis Chenerag fuerunt adorantes ignem, in eumque se sponte sæpe (itidem ut apud Indos fieri solitum legimus) cultus & obsequii causa immittentes, seque vivos concremantes. Ut Phrygas, & Cappadocas prætheream, in templo Gaditano Herculis ignem arsisse perpetuum tradit Silius l. 3. Idem factum in Templo Jovis Ammonis apud Arabas, qui statis singulorum dierum horis igni sacrificabant, seque ei devovebant, ut accurate refert R. Menachen Lanzano. Idem factum in Delphico templo Athenis, in templo Minervæ Poliadis, & in omnibus Græciæ urbibus, ut probatum a Causobono in Athenæum. Item in

Ætnæo

Ætnæo Vulcani Templo, & in Erycino Veneris, Auctore Æliano. Videtur igitur cultus ille serpsisse e Chaldæa in Persiam, e Persia in Græciam, e Græcia in Italiam. Virgilius Æneid. 2. ita canit de Ænea, qui Troja Romam venerat.

Sic ait: Et manibus Vittas, Vestamque potentem,
Æternumque adytis effert penetralibus ignem.

Certe Romani omni omnium Gentium & nationum potiti imperio, omnium pariter totius pene Orbis superstitionum facti participes, sub Vestæ nomine Ignem ut Numen suum sunt prosecuti. Sacerdotes ejus statuerunt Virgines aptas naturæ Dei, & convenientes ministras, quod non pariant, uti & ignis: hic enim hebraice Esch vocatur, quod nomen ab Anachs suam ducit originem, eo quod res consumat; & hinc a quibusdam ignis ex particula in, & gigni componitur, quod nihil pariat. Quamvis contrarium videatur Platoni, qui a gignendo putat derivari: quod per illum vis detur potentiæ generativæ, & omnia fere tam ad naturam, quam ad artem spectantia ignis & caloris beneficio producantur. Cicero l. 2. de legibus ait: *Colendæ Vestæ virgines præfuisse, ut advigiletur facilius ad custodiam ignis, & sentiant mulieres in natura fœminarum omnium Deum Castitatem pati.*

Non

Non ita pridem (ut refert Huetius) ignis perpetui ſervandi ritus exolevit apud Lithuanos, Samogitas, & Moſcovitas, cum quibus olim per Armeniam & Iberiam ut hodieque commercia Perſis eſſe potuerunt, cum præſertim celeberrimum in Caucaſo regionibus illis imminente Pyreum per multa ſæcula inextinctum perſeverarit. Id manere ad diem hunc affirmavit Teixeira, aliique plures; ſed falſum illud eſſe deprehendit Olearius oculatus teſtis, ſcriptor integerrimæ fidei. Sauromatas ignem venerari tradidit Nymphodorus in libro de barbaricis inſtitutis, ut teſtatur Clemens Alexand. in Protreptico. Scribunt idem de Tartaris Guilielmus de Rubruquis, & Joannes Plancarpinius. A Gentibus iſtis borealibus tranſiit eadem conſuetudo ad Hibernos, apud quos Moniales Kindanenſes ignem a multis annis vel potius ſæculis ſervaſſe narrat Giraldus Cambrenſis. Ignis Brigidæ vocabatur, quaſi rei auctor pia virgo fuiſſet. Cœnobium ipſum dicebatur domus ignis. Verum ab Ethnicis traductum fuiſſe inſtitutum, indicat Henrici Archi-Epiſcopi Dublinienſis factum, qui ſuperſtitionem hanc, ut pote profanam & Chriſtiana pietate indignam abolevit. Quanquam & renovatam ſubinde ad Henricum VIII. perſeveraſſe, ſunt qui conſtanter affirment. Origo Pyrolatriæ prima communis

est omni superstitioni, vanitas, cæcitas & malitia humani generis, quæ omnis idololatriæ causa dispositiva est; completiva diabolus. Hinc ignoratio veri Dei, rerum naturalium sub sensus cadentium partim ob excellentiam admiratio, partim ob utilitatem maximam æstimatio; adeo ut vel ipsius Ciceronis testimonio a Physicis rebus bene atque utiliter inventis tracta fuerit ratio ad commentitios & fictos Deos. Jam vero quid ignis elemento utilius toti universo? quid jucundius? quid magis necessarium? quid prope divinius? Apud Maximum Tyrium Orat. 38. priscos Persas legimus censuisse ignem esse divinitatis simulacrum, quæ videtur Brachmanum quoque fuisse opinio. Porphyrius l. 2. Diis ignem immortalem servamus in templis, utpote qui sit ipsis quam simillimus. Democritus Deum vocabat mentem in igne orbiculari. Parmenides coronam continentem ardore lucis orbem, ad quem accedentes illuminentur, & accendantur. Zeno definivit naturam, ignem esse artificiosum ad gignendum progredientem, ut ait Cicero l. 2. de natura Deorum. Et quid mundus esset sine igne? nonne corpus exanime? Hinc Plotinus, & cum eo plures alii Vestam animam terræ esse voluerunt; Platonici vero ἐσίαν sive substantiam formarum separatarum, & rerum divinarum solidum fun-

damentum. Div. Dionysius lib. de cælesti Hierarch. cap. 15. ait: *Sanctissimi, qui de Deo locuti sunt viri summam illam, & nullis obnoxiam signis substantiam varie in igne describunt*. Lyranus censet ideo Deum in igne olim toties apparuisse, quod ignis non esset figurabilis. Sic Ovidius l. 6. fast. canit:

Ignis inextinctus templo servatur in illo,
Effigiem nullam Vesta, nec ignis habet.

Mirum proinde nemini videatur, creaturam tam excellentem ab Ethnicis, qui res multo viliores pro Diis habuere, quasi numen fuisse habitam & adoratam.

Sunt, qui inventorem pyrolatriæ fuisse putent Prometheum; hic enim humanum figmentum igne de cœlo rapto primus dicitur animasse. Verisimile est huic fabulæ ansam aliquam dedisse Abelis victimam, igne de cælo lapso inflammatam: docet enim S. Hier. lib. tradit. sacrificium Abelis cælesti igne fuisse consumptum. Theodotion vertit: inflammavit Dominus super Abel. Dubium esse vix potest, si justorum sacrificia subinde fuerint signo tam manifesto a Deo approbata; quin occasio aliqua data fuerit idololatris, ignem modo prorsus extraordinario ac stupendo operantem pro Deo agnoscendi & colendi. Quid? quod Dæmon nequissimus Divinitatis æmulator, & simulator callidissimus simile fere prodigium alicubi in sacrificiis.

ciis sibi oblatis ostentare sit solitus? ita tradit Solinus c. 11. de Sicilia. Nec longe inde (a lacu scilicet Agrigentino) collis est Vulcanius, in quo, qui rei divinæ operantur, ligna vitea super aras struunt; nec ignis apponitur in hanc congeriem, cum porricias intulerint, si adest Deus, sic sacrum probatur. Sarmenta licet viridia ignem sponte concipiunt, & nullo inflammante a litato Numine fit incendium, ubi epulantibus alludit flamma, quæ flexuosis excessibus vagabunda, quem contigerit, non adurit, nec aliud est, quam imago nuntia perfecti rite voti. Hæc Solinus.

Verisimile præterea est libros S. Scripturæ, Moysis præsertim, in manus Ethnicorum venisse, & perperam intellectos occasionem erroris tribuisse. Justinus Martyr in sermone exhortatorio ad Gentes pluribus locis probat Platonem multa sumpsisse ex sacris literis, versatum in Ægypto fuisse, adjutumque scriptis Mosaicis, subinde caute locutum fuisse, & verba mutasse, *ne accusaretur apud Atheniensem populum pro Moysis discipulo*. Hic Plato cum (ut credibile est) legerit in sacris literis, Deum toties in igne apparuisse, incideritque forsitan & in illum Scripturæ locum quo dicitur: *Dominus Deus tuus ignis consumens est*, putavit Deum non Deuter. c. 4.

differre ab ignea substantia. Verba Justini refero: *Plato tanquam a superis decidisset, perlustrassetque diligenter omnia cælestia, summum Deum dicit esse in ignea substantia*. Idem fuit de Deo sensus Platonicorum, qui Deum ita describunt: *Deus est ignis primus vitifer, sive vitam cunctis afferens, ex quo ignes syderei, id est stella & astra omniaque alia sunt genita.*

Cornel. a Lapid. in c. 12. ad Heb.

In sensu literali certum est Deum non esse ignem aliquem materialem: hic enim longe turpior esset error, quam Jacobitarum, qui, dum legerent in Scriptura Baptismum Spiritu Sancto & igne conferendum, candente ferro baptizandorum frontibus putabant Crucis figuram esse inurendam. In sensu allegorico Deus Ignis est: *Sicut ab igne manat lux & calor, ita a Patre Filius & Spiritus Sanctus*. S. Damascenus lib. 1. fid. cap. 9. Et S. Augustinus: *Cum lux, splendor, calor una sit natura & individua substantia; vocabula vero diversa; constat profecto Patris & Filii & Spiritus Sancti unam naturam individuamque essentiam esse*. Tom. 9. Tractatu quinto. Deinde cum ignis Elementum sit primum & nobilissimum, purissimum, subtilissimum, efficacissimum, sublimissimum, celerrimum, lucidissimum, calidissimum, simplicissimum, omnino impassibile, omnia penetrans, & consumens,

in-

interminum, omnia igniens & sibi assimilans, proprietates Dei pulcherrime exprimit & proponit. &c.

LIB. GENESIS

CAP. XIV.

Percusseruntque Raphaim in Astaroth Carnaim.

PEr nomen Astaroth probabilius hic intelliguntur plura Syrorum & Palæstinorum Numina fæminei sexus: Hebræis enim Astaroth idem est, quod Deæ, Astarah, quod Dea 70. interpretes per Astarthen Deum, per Astarthas vero Deas volunt significari. Quæ sit vera nominis Astaroth Etymologia, non satis exploratum est. Derivant aliqui ab Athar, quod multiplicari significat; Alii ab Ascher, quod idem est ac beare vel beari. Sed melius nonnullorum judicio videtur originem suam nomen Astaroth ab astris habere, ut Suidas ait: *Astarte a Græcis Aphrodite, a Latinis Venus dicitur, nomen ab astro factum est*. Testantur præterea veteres historici Herodotus lib. 3. Strabo lib. 15. Heliod. lib. 10. &c. Orientales Ethnicos stellas imprimis fuisse veneratos

vel in ſe vel in ſimulacris quibuſdam effictas. Hinc Herodotus lib. 1. Aſtarthen ſive Aſtarah vocat ἀστροάρχην. Ælianus lib. 10. de animal. cap. 17. οὐρανίαν. Hieronymus, Euſebius, Philaſtrius aliique Reginam Cæli; & cum Syrorum ac Palæſtinorum Deam tam Græci, quam Latini Dianam vocare ſoleant; videtur hic loci Luna potius indicari; confirmari id ipſum poteſt ex eo, quod additur: Carnaim enim bicornem ſignificat, quod nomen Aſtris applicatum nulli magis ſideri, quam Lunæ eſt proprium. Adſtipulatur huic ſententiæ Philo Byblienſis dicens: Ipſa vero Aſtarthe impoſuit proprio capiti regni inſigne, Tauri caput, ut corniculatam videlicet Lunam ſignificaret; hinc & antiqui pictores Dianam cum lunula in capite ſolebant depingere. Putat quidem Rabbinus Elias Deabus Palæſtinis obtigiſſe nomen ſuum ab urbibus, quod in his earum fierent Statuæ; ſed veroſimilius eſt, ait Maſius, urbem Aſtaroth ab hujus Numinis cultu fuiſſe nuncupatam, eo quod incolæ illius urbis ſpeciali veneratione Lunam ipſam aut idolum Dianæ ſint proſecuti. Eſt qui cenſet urbem Aſtaroth ideo vocari Carnaim, quod Dea illa coleretur in bicorni vel bicolli loco. Denique Kircherus noſter Syntag. q. in Pantheo Hebræor. probat Aſtarthen fuiſſe magnam illam Deo-

rum

rum matrem, quam Ægyptii Isidem, Archivi Io, Græci Cybelen nuncuparunt, idque ex iisdem sacris & effigie utriusque colligi posse asseverat. Verum, cum hæc omnia ejusdem testimonio solis conjecturis innitantur, nihil de iis certi potest affirmari.

GENESIS

CAP. XXXI. V. 19.

Rachel furata est Idola patris sui.

PRo Idolis Hebraice legitur Theraphim, quæ vox varie in Scripturis sumitur. Apud Oseam legitur; sine Ephod & sine Theraphim, id est, ut vertunt Septuaginta, sine sacerdotio & manifestationibus. Apud Ezechielem & Zachariam pro imaginibus cultus divini accipitur; hic vero proprie videtur Idola significare divinis affecta honoribus, vel potius ipsos Deos, quos Laban colebat, ut ex versiculo trigesimo præsentis Capitis pronum est colligere; in quo Laban de sublatis Theraphim Jacobum increpans: *quare*, inquit, *furatus es Deos meos*? Non convenit inter Hebræorum Doctores (verba sunt Oleastri) quid significet dictio The-

raphim, quam Idola vertimus: hoc tamen certi de ista habemus, quod significet imagines hominum, quæ loquebantur, & consulentibus responsa dabant. Erant autem Idola illa (ut Hebræorum Rabbini tradunt, & ex eorum præcipuis Aben-Esra) literis quibusdam magicis insignita, & ad certas Astrorum positiones fabricata. Non improbabiliter docet Kircherus noster fuisse simulacra portatilia, sive parvas fictiles Statuas puerorum ad instar fasciis involutorum concinnatas, quas Larium ac Penatium loco quasi Deos averruncos, non domi tantum colebant, sed etiam ex collo vel alia corporis parte suspensa gestabant non sine spe consilii & auxilii in rebus dubiis ac afflictis obtinendi. Serarius in lib. Jud. cap. 17. quæst. 5. ex Rabbino Eliezer modum describit, quo Theraphim præpararentur; adducebant hominem primogenitum, quem mactabant, eique caput abscindebant; cui sale & aromate condito inscribebant super auream laminam nomen immundi cujusdam spiritus, quod sub lingua ipsius supponebant, atque ita in pariete collocabant. Porro spiritus ille homines, accensis prius lucernis, se adorantes alloquebatur, non quid certo & clare respondendo, sed mussitando aliquid Pythonum more. Videtur autem ideo Rachel patri suo Idola abstu-

lis-

lisse; ut Jacobo cum suis fugiente non haberet Laban, quos consuleret Deos de via, per quam fugissent; & simul etiam, ut peccandi materiam patri subtraheret. Quanquam S. Chrysostomus dicat, ideo Rachelem abstulisse Theraphim, quod a puellari ætate per institutionem paternam cultui Idolorum assuevisset. Quartam causam Josephus addit lib. 1. antiquitatum: ut Rachel haberet, quo confugeret, veniam impetratura, si forte pater fugientes assequeretur.

Sensum Allegoricum hujus historiæ explicat S. Gregorius Magnus lib. 30. moral. super illa verba Jobi: *Clamorem exactoris non audit*; ubi Jacobo Christum, & Racheli comparat Ecclesiam; Theraphim vero avaritiam, quæ Apostolo est *Idolorum servitus*: & ut Rachel Idola Laban subter Cameli stramenta jacere voluit, Jacob insuper in terram defodi, ut liberam omni superstitione haberet familiam; ita Christus omnem vitiorum latriam ex Ecclesia sua profligari voluit, ut illam sibi exhiberet gloriosam, non habentem maculam neque rugam. *Ad Eph. c. 5. v. 27.*

Porro non contentus Jacob omnes Deos alienos a domesticis suis postulasse, etiam si quæ Deorum ornamenta haberent, ut armillas, dextralia, corollas, inaures &c. extradi sibi jussit, ut omnem prorsus repe-

tendæ ſuperſtitionis occaſionem e domo ſua tolleret. *Dederunt ergo ei omnes Deos alienos, & inaures, quæ erant in auribus eorum*. Geneſ. cap. 35. verſ. 4.

Apud multos olim Gentiles, Orientales præſertim, inter præcipua capitis ornamenta inaures erant. De iis ſcribit Plinius lib. 11. cap. 37. *Viris aurum geſtare in auribus decus exiſtimabatur*. Item in Procemio lib. 12. *Quæ autem ad ornamenta aurium geſtabantur, inaures appellata ſunt*. Solenne etiam illis erat Principum, amicorum, imo & Deorum effigies annulis inſculptas geſtare in ſignum memoriæ, amoris & reverentiæ, ut refert Ulyſſes Aldrovandus lib. 1. de inſectis ex Plutarcho lib. de ſuperſtitione. Videntur autem inſtar annulorum inaures quædam ſaltem fuiſſe. Talium meminit in Pœnulo Plautus ita ludens in Afros: *incedunt cum annulatis auribus*. Jam vero quid pronius pietati hominum, quam, quæ pulcra & pretioſa ſunt, etiam ſuperis offerre, & ſaltem in imagine applicare? quemadmodum ex adducto textu colligitur, inaures quæ ornamenta erant hominum, Diis etiam fuiſſe conſecrata & appenſa.

S. Auguſtinus quæſt. cap. 12. ſuper Geneſin ſcribit: *Quæritur quare & inaures dederint, quæ ſi ornamenta erant, ad idololatriam non pertinebant; niſi quia intelli-*

gen-

gendum est, Phylacteria fuisse Deorum alienorum: nam Rebeccam a servo Abrahæ inaures accepisse Scriptura testatur; quod non fieret, si eis inaures habere ornamenti gratia non liceret. Ergo illæ inaures, quæ cum idolis data sunt, idolorum Phylacteria fuerunt. Idem fere ait S. Chrysostomus homil. in Genes. 35. *Et dederunt Jacob Deos alienos: non enim erant sui; & inaures, quæ erant in auribus eorum; forte enim hæc signa erant istorum idolorum; ideo hæc cum Diis offeruntur Jacobo.* Sanchez in Caput 44. Isaiæ putat inauribus iis insculptas fuisse Deorum imagines: tales enim in annulis aut etiam laminis e collo pendulis Gentiles ferebant. Sic videtur clarius explicari posse textus Oseæ, quo dicitur, ut Israel auferat adulteria sua de medio uberum suorum, laminam scilicet vel quid simile inter ubera, & supra cor positum, in quo cælata erant idola vel Deorum adulteria.

Cultus Deorum alienorum in sensu Tropologico sunt hæreses, uti censet S. Augustinus lib. de vera religione cap. 38. Eidem S. consentit Hieronymus in cap. 44. Isaiæ ita dicens: *Est alius deterior cultus simulacrorum, quod phantasmata sua homines colunt, & quidquid animo errante cum superbia vel tumore cogitando imaginati sunt, religionis nomine observant.* Inaures ejusmodi Idolorum sunt elaborata ab hæ-

resiarchis ad speciem veri, & desumpta ex solo & puro, ut prætendunt, Dei verbo argumenta, quorum specioso colore heu nimium! eorum asseclæ dementantur.

G E N E S I S

CAP. XLI. V. 45.

Dedit illi uxorem Aseneth filiam Putiphare Sacerdotis Heliopoleos.

HEliopolis idem est, quod Civitas Solis, inter quinque primarias civitates Ægypti, de quibus Isaiæ cap. 19. dicitur: *In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti loquentes lingua Chanaan. Civitas Solis vocabitur una.* Specialiter nominatur: quia præ cæteris in omnem superstitionem videtur effusa, & Solis cultui addicta. De eadem urbe Strabo ait lib. 17. *Heliopoli domos amplas vidimus, in quibus Sacerdotes habitant; hanc perhibent olim Sacerdotum habitationem fuisse; hominum Philosophiæ & Astronomiæ deditorum.* De quorum primoribus verosimiliter locutus est Lactantius lib. 2. de orig. err. cap. 14. *Omnium primi, qui Ægyptum occupaverunt, cælestia suspicere atque adorare cœperunt, & quia neque domiciliis tegeban-*

tur

tur propter aeris qualitatem, (nec enim ullis in ea regione nubibus subtexitur cælum) cursus siderum & defectus notaverunt; dum ea sæpius venerantes curiosius atque liberius intuerentur. Hinc ortum videtur quod Solem astrorum Principem Heliopoli præsertim summo cultu fuerint prosecuti.

Pergit Strabo loco ante citato: Urbs aggeri magno imposita Solis templum habet & Mnevim bovem, qui in septo quodam nutritur, & ab Heliopolitanis pro Deo habetur. In ingressu fani est pavimentum, quod jugeri spatium adæquat quoad latitudinem, ter aut quater illud excedens quoad longitudinem; in qua Sphynges lapideæ ad latera sunt positæ, vicenis cubitis vel pluribus inter se distantes. Addit demum post plura Vestibula duos fuisse muros ad Templi altitudinem erectos, ab initio distantes paululum, sed inclinantes ad se paulatim, in eisque sculpturas fuisse ingentium simulacrorum certas bestias repræsentantium; Crocodilum forsan, Ibin, felem aut accipitrem &c. quos in tanta veneratione habebant Ægyptii, ut Cicero dicat lib. 1. de nat. Deorum: *Ne fando quidem auditum est, Crocodilum, aut Ibin aut felem violatum ab Ægypto*.

Porro qualem vitam duxerint antiqui Sacerdotes Ægyptii, narrat apud S. Hieronymum Chæremon Stoicus, quod scili- *Lib. 2. adv. Jov. cap. 9.*

cet

cet omnibus mundi negotiis, curisque postpositis semper in templo fuerint, & rerum naturas, causasque ac rationes siderum contemplati sint, ab usu mulierum semper abstinuerint, nunquam cognatos ac propinquos, ne liberos quidem viderint ex eo tempore, quo cœpissent divino cultui deservire, a carnibus & vino semper sibi temperarint. Ovum quoque pro carnibus vitaverint, & lac: quorum alterum carnes liquidas, alterum sanguinem esse dicebant colore mutato. Cubile eis de foliis palmarum contextum erat, scabellum acclive, & ex una parte obliquum in terra pro pulvillo capiti supponebant, bidui, triduique inediam sustinentes. Rhodiginus antiquarum Lectionum lib. 5. cap. 12. ait: *Quod, dum Heliopoli rei divinæ incumberetur, nequaquam Templo vinum quis inferret; ceu dedeceret interdiu bibere, Domino ac Rege (Sole scilicet) inspectante.*

Quanta autem in veneratione Ægyptii Sacerdotes non imperitæ solum multitudini, sed ipsis etiam Regibus fuerint, ex eo satis licet colligere, quod quasi in legem factum sit, ut in tota Ægypto quinta pars tanquam tributum Regibus solveretur *præter terram sacerdotalem*. Genes. cap. 47. vers. 22. Censebant enim esse inconveniens ut proximi supremi Regis Ministri, alteri longe inferiori tributum solverent, & in-

fer-

servitutibus ejusmodi sæcularibus obedirent. Juvat hic ex Epistola tertia D. Clementis ad omnes fideles, quæ extat tom. 1. Conciliorum, gravem quandam S. Petri Vicarii Christi exhortationem referre: nimirum Imperatores & Reges sæculi Sacerdotibus parere debere, & existimare, se eorum precibus in gratiam recipi, cum eorum manus osculantur; atque id ex Domini sententia Matth. cap. 17. confirmatur. *Si a filiis Reges tributum non exigant, quos subditos habent; multo minus ab eis, quos sibi Superiores cognoscunt absque nota criminis invasæ tyrannidis; sub quorum cura Principes omnes intelligant se sub Pastoribus esse oves, longeque impar esse, a Pastoribus oves lac & lanam exigere, cum potius ista illæ teneantur Pastoribus exhibere.* Hucusque ex illa Epistola. Talem immunitatem suo tempore Sacerdotibus concessam fuisse S. Hieronymus testatur in cap. 17. Matthæi: *Nos pro illius honore tributa non solvimus, & quasi filii Regis a vectigalibus immunes sumus.*

Vide Hubertum Dr assonlevil le de honorando sacerdotio.

GE-

GENESIS

CAP. XLIII. V. 32.

Illicitum est Ægyptiis comedere cum Hebrais. Detestantur Ægyptii omnes pastores ovium. Cap. 46. vers. ult.

PRobabilius docent non pauci, ante diluvium homines ab esu carnium abstinuisse; postmodum vero, ubi vigor terræ non parum universali aquarum inundatione corruptus fuit, & primæva fructuum excellentia defecit, carnium comestio magis ac magis videtur invaluisse; non ubique tamen, nec apud omnes; sed remansit apud aliquos horror quidam esus tam inusitati, ita ut sacrilegium putaretur manducare, quod ex innocentia non fuerat antea comestum; non sine fraude & nequitia maligni spiritus; qui, ut abstinentiam in primis nostris violavit parentibus, ita eandem suasit, ursit, & evicit in eorum posteris, sed ex pessimis principiis. Quidam enim ideo ab animatis abstinuerunt; quod caro ex corporum commixtione gigneretur; proinde polluta esset ac immunda, & consequenter omnes Creophagos pollueret. Hæc causa Ebionem hære-

hæreticum & discipulos ejus permovit ad abstinentiam a carnibus. Alii, ut Manichæi, carnes & vinum a malo Deo sive Diabolo sustinebant procreari, & ideo illarum comestionem horrebant: *Quia*, ut S. Augustinus ait, *ipsas carnes immundas putant, & earum creatorem Deum esse negant*. S. Epiphanius Hæresi 66. de iis ait: *Edentem carnes Manichæus animam edere dicit, & esse ipsum reum, ut & ipse tale quid fiat, si taurum edat, ut taurus fiat, si porcum edat, ut porcus fiat*.

Alii ideo damnabant esum animalium, quod etiam in brutis crederent esse animam rationalem, eamque in diversa eorum corpora pro vitæ anteactæ merito transmigrare. Hanc sententiam videntur tenuisse antiquissimi Ægyptiorum Gymnosophistæ sapientiæ fama toto Orbe celeberrimi, & ab his eandem didicisse veteres Philosophi, ut Pythagoras, & Apollonius Thyanæus &c. qui per varias orbis partes sapientiæ acquirendæ causa peregrinati sunt. Ad hæc constat ex Historiis, animalia non pauca tam a ceteris Gentibus quam Ægyptiis fuisse Diis consecrata. Sic Veneri & Apollini sacer erat Cygnus; & illi quidem etiam ardea, huic vero columba. Aquila Jovi; turtur ob silentium Harpocrati; noctua Minervæ; Phœnix Soli; pavo Junoni; picus, equus,

 & lu-

& lupus Marti; grus Cereri; lynx & tygris Baccho; cerva Dianæ; Leo Cybeli; bos Lunæ, Soli & Apollini; capra Diti; gallus & canis Æsculapio; Ibis & Cynocephalus Mercurio; asinus Priapo.

Colebantur etiam ab Ægyptiis Dii sub animalium figuris: v. g. Hammonius Jupiter in ariete, Apis in vitulo & bove, Osiris in ibe & accipitre;

Aurelius Prudentius in Symmach.

Isis enim & Serapis & grandi Simia cauda
Et Crocodilus, idem quod Juno, Laverna, Priapus.

Imo ipsa animalia pro Diis habebantur. Sic Josephus lib. 1. contra Appionem inter Deos Ægyptiorum recenset bovem & hircum; quibus adde feles & mures. Memphitæ Taurum colebant, Thebani mustelam, Tanitæ accipitrem, Lycopolitæ lupum, Cynopolitæni aliique canem tanta cum veneratione, ut authore Herodoto tota domus, in qua canis extinctus esset, acta lamentatione, toto corpore raderetur, quod indicium erat maximi apud illos luctus: Arsinoe urbis incolæ Crocodilum, quod mireris, animal andropophagum: causa videtur hæc fuisse, quod toti patriæ non solum Nilus securitatem afferret, sed etiam qui in eo sunt Crocodili, quos Arabiæ, Libyæque latrones veriti non audent flumen transire populatum. Colebant

Ægy-

Ægyptii præterea Scarabæum tanquam vivam solis imaginem, ut Porphyrius docet lib. de abstinentia ab animatis, Latum piscem, Xyrinchum sive lucium Niloticum, Cynocephalum, quod animal in sacris alebatur, tum quod a piscibus abstineret, tum quod gigneretur circumcisum, quam circumcisionem curare Sacerdotes solebant & peragere.

Ex dictis patet, quare Ægyptii fuerint detestati pastores Judæorum, & illicitum illis fuerit manducare cum Hebræis. Immane enim videbatur illis esse sacrilegium, animal Deo sacrum vel pro Deo habitum vilipendere & lædere, nedum mactare & comedere. Hinc Cicero dicebat, ut supra memoratum est: Ne fando quidem auditum est, Crocodilum, aut Ibin aut felem violatum ab Ægypto. Et Juvenalis Satyra quinta de Ægyptiis canit:

--- Lanatis animalibus abstinet omnis
Mensa, nefas illic fœtum jugulare Capellæ.

Mirum proinde non est dixisse Moysen Exod. cap. 8. vers. 26. *Non potest ita fieri: abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro*. Quæ abominationes nihil aliud erant, quam mactationes eorum animalium, quæ in Deorum numero Ægyptii recensebant. Paschalis lib. 1. ita canit de iisdem:

Nonnulli venerantur olus, mollesque per hortos
Numina sicca rigant, verique hac arte videntur
Transplantatorum cultores esse Deorum.

Concinit Paschali Aurelius Prudentius in Symmachum.

Sunt qui quadriviis brevioribus ire parati,
Vilia Niliacis venerantur oluscula in hortis;
Porrum & Cepe Deos imponere nubibus ausi,
Alliaque & Serapin cœli super astra locare.

Jam vero nihil communius, gratiusque erat Judæis, quam ejusmodi olera comedere; hinc illa orexin adhuc eis in deserto movebant, cum dicerent: *In mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique & cepe & allia.* Numer. cap. 11. vers. 5. Econtra Ægyptiis, ut ait Juvenalis:

Porrum ac cepe nefas violare ac frangere morsu.

Ex his iterum patet, cur illicitum fuerit Ægyptiis comedere cum Hebræis.

In sensu Tropologico abominationes impiorum sunt fides, justitia, pietas, pænitentia, aliæque virtutes, quarum oblatio Deo quidem gratissima, sed impiis odiosa. Ita S. Gregorius lib. 10. moral. cap.

27.

27. ait: *Quod abominantur Ægyptii, hoc Israelitæ Deo offerunt: quia simplicitatem conscientiæ, quam injusti quique despiciunt, hanc justi in sacrificium virtutis vertunt, & excolentes recti pietatem ac mansuetudinem Deo immolant, quam abominantes reprobi fatuitatem vocant.*

EXODI

CAP. XXIII. V. 13.

Per Nomen externorum Deorum non jurabitis, neque audietur ex ore vestro.

JUrare est jurejurando devincire: hinc juramentum idem est, quod jusjurandum, & hoc secundum Philonem est testificatio Dei de re controversa: Secundum Juris consultos est affirmatio vel negatio rei alicujus sacræ attestatione firmata. Hinc Cicero l. 3. offic. affirmationem talem religiosam vocavit. Ideo forsan juramentum hebraice Schebuahh dicitur, quod verbum deducitur a schæbahh numero septenario, qui sacer erat & religiosus. Græcis juramentum ὅρκος dicitur, quod sit quasi ἕρκος, id est sepimentum, quod utrumque verbum derivatur ἀπὸ τοῦ εἴργειν a coercendo: nam ut Cicero ait l. 3. offic.: *Nullum vinculum*

ad stringendam fidem jurejurando firmius majores nostri esse voluerunt. Hinc censenda est res non levis momenti juramentum, quod Germanice Schmur quasi schmer dicitur: debet enim esse testimonium animi, conscientiæ, veritatis, & Deus ipse veritatis testis adhiberi; in cujus signum solebant Ethnici ipsas Deorum aras & simulacra tangere, ut Juvenalis de quodam testatur Satyra 14.

---*Cereris tangens aramque pedemque*.

Et Justinus l. 24. *Ptolomæus sumptis in manibus Altaribus contingens, ipsa simulacra & pulvinaria Deorum inauditis, ultimisque execrationibus adjurat*. Quæ autem nationes diversos habebant Deos, per eos pariter jurabant. Thebani Ægyptii per Osiridem, Persæ per Mithram sive Solem, Lacones per Spartanos & Argivos Deos, Vestales per Vestam, Siculi per Proserpinam, Cappadoces per montem quendam pro Deo habitum, Pythagorici per quaternionem, ut Plutarchus testatur de opini. Philos. l. 1. c. 3.

Ad hæc jurandi formula Deos aut Deas, unum aut plures in se continebat. Sic Grippus piscator apud Plautum in Rudente ait: *Per Venerem hanc jurandum est tibi*. Ceterum frequentissime per Jovem jurabant juramentorum Præsidem, & fidei servandæ antistitem; ratione cujus Dius Fidius appel-

pellabatur Jupiter, cujus nomine, ut Cicero ait pro Fontejo, *Majores noſtri teſtimoniorum fidem ſanctam eſſe voluerunt, non ſine metu perjurii, ſi commiſſum eſſet, puniendi*. Idem ait l. 2. de legibus: *Perjurii pœna divina exitium, humana dedecus eſto*. Hinc in ſenatu Olympii Jovis erat ſimulacrum ὅρκιος nomine, utraque manu fulmen tenens, quaſi fulmine ulturus, qui juramentum falleret & violaret. Modus etiam gentilium vetuſtiſſimus fuit jurandi per Jovem lapidem: juraturi enim lapidem v. g. Silicem, dum fœdus aliquod ſancirent, manu tenebant, ut Feſtus docet, dicentes: *Si ſciens fallam, me Dieſpiter, ſalva urbe arceque bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem*. Vide exemplum apud Titum Livium l. 1. decad. 3. de Hannibale, & l. 22.

Formulam jurandi per plures Deos videre eſt apud Plautum:

Ita me Jupiter (inquit Chryſalus) Juno, In Bacchide.
Ceres,
Minerva, Latona, Mars, Mercurius,
Hercules,
Sumanus, Sol, Saturnus, Diique omnes
ament,
Ut ille cum illa neque cubet, neque ambulet &c.

Et in Ciſtellaria apud eundem Plautum Alceſimarchus adoleſcens:

--- Enimvero ita me Jupiter,
Itaque me Juno & Saturnus,
Dei me omnes, magni, minuti & Patellarii
Faxint, ne ego dein vivus hodie suavium Silenio,
Nisi ego te tuamque filiam meque hodie obtruncavero.

Jurabant quoque Gentiles aliqui per olera, quorum saltem aliqua erant Ægyptiorum Numina. Plinius l. 19. c. 6. *Allia Cepasque inter Deos in jurejurando habet Ægyptus.* Athenæus l. 9. docet multis e veterum Poematis repetitis exemplis per brassicam antiquos jurasse: eo, quod huic divinatoriam quandam vim inesse crederent. Ex his patet, quomodo per Deorum suorum nomina Ethnici jurarint. Juste autem a Deo prohibita fuisse ejusmodi juramenta, nimis quam clarum est. Uti enim nulli sunt Gentium Dii & fictitii tantum, ita nulla censeri debet authoritas, quæ pro rei confirmatione allegatur. Unus & solus, verus, æternusque Deus Cardiognostes & rerum omnium conscius, quam severus & justus falsi ultor, tam veritatis constans assertor, jure in verbo suo sacrosancto mandavit, non per Deorum nomina, sed per suum nomen jurari posse & debere; & ut hoc Dei mandatum apud Christianos inviolatum maneret, Concilium Quinisextum

Con-

Conſtantinopoli in Trullo palatii imperatorii Anno 706. habitum ſæpius Chriſti fideles exhortatur, ut a moribus gentilium abſtineant, *Neque execrandi Bacchi nomen, uvam in torcularibus exprimentes invocent*, Can. 62. Et Canone 94. *Eos qui Gentilium Sacramenta jurant, Canon pœnis ſubjicit, & nos iis quoque ſegregationem decernimus*.

EXODI

CAP. XX.

Quod ſi Altare Lapideum feceris, non ædificabis illud de ſectis lapidibus; ſi enim levaveris cultrum ſuper eo, polluetur.

UT Deus magis Hebræos a cultu & ritu Gentilium avocaret, quibuſcum per ſæcula aliquot in Ægypto vixerant, & ut nulla iis daretur occaſio ſculpturas & picturas idolorum imitandi; omnino vetuit Altare ſibi erigi e ſecto lapide; ſed e rudi & impolito, aut e terra ſeu egeſta humo ſimpliciter ſine parergis & ornamentis: E contra Gentiles ſplendida, magnifica & polita Diis ſuis fabricabant Altaria. Hinc Arrianus in Periplo Ponti Euxi-

ni,

ni, juxta Trapezuntem civitatem in mari sitam scribit se vidisse aras erectas ex aspero lapide. Addit vero statuisse se aras ibidem albo lapide dedicare. Et Epigrammata perspicuis & illustribus notis, iis insculpere. Angelus Politianus Apollini in Delo aram corneam fuisse instructam testatur. Meminit Athenæus aræ aureæ Babyloniorum. Ex marmore item candido aras olim fieri solitas non pauci testantur Scriptores: hinc illud Poetæ:

Marmoreas stant fulva canum simulacra per aras.

Idem videtur Martialis insinuare lib. 9. dum ait: *Libetur tibi candidas ad aras.* In iis quoque symbola & imagines Deorum cum certis quibusdam characteribus insculpebantur. Frondium præterea ambitu aras illas coronabant, v. g. Jovis aram æsculo, Apollinis Lauro, Minervæ olea &c. ornabant; unde canit Valerius Flacc. lib. 3. *Frondentibus intulit aris.*

Alias prærerea rationes adferunt Rabbini; quare Deus noluerit cultro, scalpello, aliove instrumento ferreo altare suum præparari. 1. Quia nefas erat partes ferro abrasas in terram excidere. Tanta aris sacris inerat reverentia. 2. Ne ex frustis sacratiorum lapidum simulacra sibi fingerent Idololatræ, iisque ad artes magicas abuterentur. 3. Quod altare conservandæ

&

& propagandæ hominum vitæ erigatur; ferrum vero maligno mortalium ingenio inventum, ut hominum internecioni deserviret. Et ideo forsan sapientissimi Regis consilio factum est, ut omne ferramentum non audiretur in domo Dei, cum ædificaretur. Quod ipsum advertisse videntur Gentiles, quorum ea lex erat, teste Tullio: *Æs & ferrum arceto a delubris, ut duelli instrumenta, non fani.*

L. Reg. 3. c. 6. v. 7.

L. 2. de legibus.

Cessat modo lex illa veteris Testamenti: *Altare de terra facietis*, Exod. c. 20. Debet enim ex instituto Sylvestri Pontificis Maximi Altare esse lapideum. Tum quia Christum refert & excipit, qui Apostoli testimonio *Petra est*. Tum ut ævum sustineat, tempusque longissimum; Tum denique ut doceat Sacerdotes, qui in eodem litant supremo Numini, debere esse solidos in Dei servitio, & in adversis quibuscunque constantes.

Symbolice per altare non elaboratum designatur, Deum non egere ullo medio ad suam perfectionem; sed ex natura sua esse perfectissimum, maximum, optimum; qui virtutum nostrarum simplicitate & puro affectu magis, quam artificiosa earum compositione ad ostentationem non raro conficta delectatur. Allegorice per aram impolitam altare Crucis intelligitur, in conspectu mundi vilissimum & despicatissimum,

in

in qua Christus se ipsum Deo Patri obtulit immaculatam hostiam, sacrosanctum Sacrificium.

Ad Eph. cap. 3. Tropologice explicat S. Isidorus: *Lapides insecti sunt fideles, in fide & morum integra & sancta unitate solidati; nec scissi ullo schismate, qui coædificantur in habitaculum Dei in Spiritu sancto.*

EXODI

CAP. XX. V. 26.

Non ascendes per gradus ad Altare meum, ne reveletur turpitudo tua.

ALtare verosimiliter ab altitudine suam trahit originem, ita ut idem sit Altare, ac alta ara, quæ vox altus ab hebræo verbo alach (quod ascendit significat) videtur derivari, quia ad alta ascensu opus est: hinc expresse forsitan Deus vetuit, ne alta sibi fierent altaria, ad quæ opus foret per altos gradus ascendere, qualia Ethnici habebant. Sic testatur Herodotus ab Argonautis altare altius Apollini extructum in Clio ita canens:

Justaque solventes in primo ereximus aram
Littore sublimem.

Deserviebant altiores hi gradus altarium ad

ad obſcœna & nefanda Gentilium ſacrificia, præſertim ea, quæ Priapo fiebant: Et ideo cenſet hic S. Thomas a Deo vetitos ſublimes gradus, ne occaſio Judæis daretur execranda ejuſmodi ſcelera imitandi: præſertim, cum tranſeundum illis eſſet per Moabitidem, ubi impenſe Beelphegor, id eſt Priapus colebatur. Aliam cauſam affert Plutarchus in Numa Pompil. *Cur alta & ſublimia erecta ſint altaria? ut orientem Solem ſtatim exciperent.*

Alii putant ideo altiores gradus a Deo fuiſſe prohibitos, ut admonerentur Sacerdotes pudoris, reverentiæ, & caſtitatis in ſacris adhibendæ: cum enim ſub tunica exteriori linea, ſubligaculis tantum induti eſſent, eaque ad genua tantum protenſa, facile potuiſſet fieri, in aſcenſu altiorum graduum errore aut lapſu pedum pandi ſubligacula, & verenda conſpici. Bene igitur vetitum eſt altare cum gradibus, *ne reveletur turpitudo tua*. Nec mirum eſt laudabilem ejuſmodi cautelam in divinis præſcriptam eſſe ſacrificiis; cum talem ab Ethnicis etiam in Theatro legamus apud Ciceronem fuiſſe obſervatam, ſic enim ait lib. 1. Officiorum: *Scenicorum mos habet tantam a vetere diſciplina verecundiam, ut in ſcenam ſine obligaculo prodeat nemo, ne ſi forte corporis partes quædam aperiantur, aſpiciantur non decore*. De iiſdem vere

L. 1. offic. cap. 18. re dixit S. Ambrosius: *Si casu aperiantur, confunditur verecundia, si studio, impudentia æstimatur.*

LEVITICI

CAP. II. V. 11.

Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet, nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur.

QUod Deus mel in sacrificiis prohibuerit, aliqua videtur fuisse ratio D. Thomæ Aquinati, quod Gentiles eodem uti fuerint soliti in Deorum sacrificiis. Constat enim Athenienses Mnemosynæ, Auroræ, Soli, Lunæ, Uraniæ, & Nymphis aqua melle diluta sacrificasse. Sic in Asopo in Eumenidum æde non nisi mulso libare permissum erat, ut testatur Alexander ab Alex. lib. 3. cap. 12. Ovidius lib. 3. Fastor. canit:

Liba Deo fiunt, succis quia dulcibus ille
Gaudet, & a Baccho mella reperta ferunt.

Etiam Plutoni, id est Ditis patri melle & lacte sacra fieri solebant. Imo Deam finxerant Mellonam sive Melloniam, Deum autem Aristhæum Atheniensem.

Allegorice per hanc prohibitionem significatur

gnificatur sacrificium Christi plenum fore doloribus & tormentis: quomodo enim suavis & melliflua oblatio typus esse potuisset Crucifixi felle & aceto potati?

Tropologice indicatur omnem amoris proprii, sensualitatis, aut alterius cujuscunque terrenæ voluptatis dulcedinem ab omni Religionis perfectæ exercitio abesse oportere.

LEVITICI

CAP. XVII. V. 7.

Nequaquam ultra immolabunt hostias suas Dæmoniis, cum quibus fornicati sunt.

PRo Dæmoniis in hebraico legitur nomen, quod a pilo suam trahit originem; ita ut verisimilius intelligantur pilosi; qui subinde in Scriptura pro Dæmoniis ponuntur, & spectris horrificis. Vario nomine appellati sunt ab Ethnicis: Fauni a fando, dicti, quod voce, non signo consulentibus responderent; Satyri a rictu oris; Tityri a teretismate certo quodam saltationis genere; Sylvani a præfectura & incolatu sylvarum; Sileni ab inverecunda, & dicaci loquela. Iidem esse a plerisque putantur, a quibusdam tamen distinguuntur.

tur. Pro semi-Deis sunt habiti, quorum Caput Pan. Sunt autem revera nonnisi sordidi & immundi spiritus, quos in hominibus *immunditiam tentare & efficere plures, talesque asseverant, ut hoc negare impudentia videatur.*

S. Aug. l. 15. de civitat. Dei.

Dæmonia sive dæmones dicuntur a græco verbo δαιμαίνειν, id est terrere, pavefacere, ut vult Eusebius, & hinc se ut Deos coli intentarunt: (nam fecit in orbe Deos primum timor) sub specie terrifica apparentes, & illudentes hominibus, qui ex spe boni alicujus obtinendi, aut potius metu mali inferendi sua iisdem offerebant sacrificia, ut Servius ait in Georg. & in Æneid. super hos versus:

Sylvano fama est veteres sacrasse Pelasgos,
Arvorum pecorumque Deo, lucumque diemque.

Et Ovid. L. fastorum:

Idibus agrestis fumant altaria Fauni.

Apparebant autem humano quidem capite sed cornibus instructo, pedes habebant caprinos, rubentem faciem, nasum simum, aures asininas, caudas equinis non multo minores, toto corpore hircorum more villosi, & in cursu pernicissimi, teste Plinio lib. 7. cap. 2. De petulantia eorum & salacitate mira referuntur, præsertim a Pausania in Atticis, uti & de eorum saltibus & tripudiis a Pomponio Mela: Insulas

quas-

quaſdam ultra Athlantem , Mauritaniæ montem fuiſſe, quos Satyri inhabitare ſint crediti, *in* quibus per noctem obverſarentur lumina cum cymbalorum , fiſtularum & tympanorum ſtrepitu , per diem vero nemo cerneretur . Cui incredibilis videtur congreſſus Judæorum cum ipſis Dæmoniis, poteſt per fornicationem intelligere turpes illas & infandas libidines, quas in execrandis Dæmoniorum ſacrificiis inter ſe Gentiles ipſi & Judæi peragebant . Ipſam etiam Idololatriam non raro fornicationem nominat Scriptura, ut ait Heſychius: *Servire idolis, fornicationem appellavit, aperte nos docens , quia noſtras animas Deus ſibi ad ſalutem deſpondit, & ideo fornicatio dicitur ab illo diſceſſio.*

LEVITICI

CAP. XVIII. V. 21.

De ſemine tuo non dabis, ut conſecretur Idolo Moloch, ne polluas nomen Domini.

MOloch vel Melchom Idolum fuiſſe Ammonitarum ex Scripturis conſtat ; quamvis non ii ſolum , ſed etiam Chananæi aliæque nationes ejuſdem cultores fuerint. Idem ſignificat, quod Regem

Deorum, scilicet ceterorum. Septuaginta vertunt, ἄρχοντι de semine tuo non dabis servire principi. Traditio est Hebræorum, quam passim admittunt Scripturarum interpretes: Idolum hoc fuisse Statuam æneam & concavam, quæ igne supposito accendebatur, capite vitulino, reliquo corpore forma hominis, regiis ornatam insignibus, & in throno quodam considentem manibus porrectis, quibus imponi solebat puer immolandus; tumque se ipsas per artificialem quandam machinam, more αὐτομάτων, contrahebant, miserumque puerum complexu stringebant, ita ut puer lento ignis vapore tostus ridentis speciem exhiberet. Interim ne ejulatus pueri audiretur, & commiserationem in parentibus exhiberet, quatiebant sacerdotes tympana, & tubis clangebant; insuper imponendo parentibus, puerum igne quidem absumptum, sed a Diis raptum ad æthera.

Oecumenius in cap. 7. Actorum, & Arias Montanus in cap. 1. Amos putant Moloch fuisse Mercurium, eo quod hic dictus esset Moloch a Malach, id est nuntius. Cajetanus censet fuisse Priapum, alii Jovem. Sed verosimilius Saturnus fuit secundum veteres profanos Scriptores, & SS. Patres: cum illi maxime conveniant ea, quæ de Saturno Poetæ sunt fabulati: imprimis, quod filios suos devorarit. Prætere-

ea

ea hic unus pene fuit, cui a Gentilibus humana victima multis in locis sacrificaretur. Vuiehel Stuckius in sua sacrorum & Sacrificiorum descriptione talem victimam nominat ἀνθρωποθυσίαν, additque barbaram illam consuetudinem non tantum apud Gallos viguisse, de quibus Cicero in Oratione pro Fontejo, sed etiam Africanos, Siculos, Italos, Græcos, Scythas, Thraces, Britannos.

Poscere cæde Deos veniam, & flagrantibus aris, *Silius Italicus.*

Infandum dictu! parvos imponere natos.

Nec Latini quidem hujus immanitatis expertes fuerunt, ait Lactantius: *Siquidem Latialis Jupiter etiam nunc sanguine colitur humano. Quid ab his boni precantur, quibus sic sacrificant? Aut quid tales Dii præstare hominibus possunt, quorum pœnis propitiantur?* *L. 1. de Relig. falsa c. 21.* Merito Imilie Annibalis uxor, cum Aspar filius ejus mactandus esset, dolens conqueritur apud Silium:

Quæ porro hæc pietas! delubra aspergere tabo?
Heu! primæ scelerum causæ mortalibus ægris,
Naturam nescire Deum. Justa ite precari
Thure pio, cædisque feros avertite ritus.
Mite, & cognatum est homini Deus! hactenus oro,
Sit satis ante aras cæsos vidisse juvencos.

 Sed

Sed fuerunt hæc vana Imilies & aliorum idem de Diis ſentientium vota. *De infantibus, qui eidem Saturno immolabantur propter odium Jovis, quid dicam, non invenio*, ait citato loco Lactantius: *Tam barbaros, tam immanes fuiſſe homines, ut parricidium ſuum ſacrificium vocarent. Cum teneras & innocentes animas, quæ maxime eſt ætas parentibus dulcior, ſine ullo reſpectu pietatis extinguerent, immanitatemque omnium beſtiarum, quæ tamen fœtus ſuos amant, feritate ſuperarent. O dementiam inſanabilem!* A Peſcenio Feſto in libris hiſtoriarum refertur, quod Carthaginenſes, ab Agathocle Rege Siculorum victi, cum iratum ſibi Saturnum putarent, ut diligentius piaculum ſolverent, ducentos nobilium filios immolarint. Hiſtoriam illam hoc Epiphonemate claudit Lactantius:

Tantum Religio potuit ſuadere malorum,
Quæ peperit ſæpe ſceleroſa atque impia facta.

Hoc ultimum carmen ita reddit Kircherus noſter:

Quæ toties peperit ſcelerum genus omne nefandum.

Sicut vero aliarum fabularum fundamentum plerumque fuit hiſtoria quædam, ſed temporum vetuſtate figmentis corrupta; ita in iis, quæ de Saturno dicuntur, probabile eſt contigiſſe. Sunt, qui Sacra Moloch

loch à Sacrificio Abraham & Isaac deducta esse arbitrantur. Alii verosimilius censent institutum illud sacrificandi filios a Phœnicibus manasse, ut Eusebius indicat lib. 4. præparat. Evangel. cap. 7. ubi ait: Saturnum Regem fuisse Phœniciæ, & eundem mortuum in Deorum numerum fuisse relatum, creditumque esse in Saturni stellam migrasse, cui Anobreth Nympha ejus uxor unicum, quem ex eodem susceperat, filium immolarit.

Juvat ex Kirchero nostro cognoscere, quæ *naturalis* veritas sub hac fabula latuerit. Censet hic in Oedipo suo Ægyptiaco Idolum Moloch Typhonem fuisse, quem Ægyptii variis modis velut numen sibi adversum quærebant conciliare, sub figmenti involucro plerumque causas rerum naturalium vel beneficas sacrificiis sibi demerendo, vel nocentes placando. Et sic teste Plutarcho Typhon ille nihil aliud erat, quam totum id, quod in Sole vitiosum est, quale est adustiva vis Solis nimia, qua Nilus seu Osiris siccus redditur, & in angustam alvei sui cistam quasi mortuus conditur, quo condito sterilescat tellus Ægyptia. Cum vero ejusmodi sterilitas quodam tempore universam Ægyptum premeret, ad Oraculum confugere Ægyptii, exploratum, qua ratione a publica hac calamitate possent liberari. Responsum vero est,

desiturum malum, si quotannis circa Niliacæ inundationis tempus se hominem sacrificaturos promitterent. Dictum, factum, & fertilitas subsecuta est. Inde quotannis hæc andropothysia est observata.

In sensu morali de semine suo offerunt Idolo Moloch parentes illi, qui filios suos ad vanitates sæculi educant, & in vitiis enutriunt, futuras olim victimas divinæ Nemesis æternum cremandas.

LEVITICI

CAP. XIX. V. 26.

Non augurabimini, neque observabitis somnia.

QUam communis olim apud omnes fere nationes fuerit superstitiosa divinatio, Cicero testatur l. 1. de divinat. *Quæ est gens, aut quæ civitas, quæ non aut extis pecudum, aut monstra, aut fulgura interpretantium, aut Augurum, aut Astrologorum, aut sortium, aut somniorum, aut vaticinationum prædictione moveatur?* Videtur autem in præsenti textu a Deo prohiberi omnis superstitiosa futuræ rei prædictio ex quacunque re desumpta. Erant eum in fi-

finem apud Ethnicos in usu maxime auspicia ex garritu avium vel volatu, tripudia, solistina, *hydromantia* per aquam, cribrum, pelvim, annulos, specula, claves, &c. item extispicia, id est inspectiones viscerum, sive extorum sacrificialium, quorum beneficio res, & eventus futuros, sive bonos, sive malos prænoscere solebant & prædicere. De quibus ita Peucerus: *In dissectis jam victimis ex signis salubribus, noxiisque ex habitu, coloreque extorum & fibrarum, defectu aliquarum particularum in præcipuis organis, aut præter naturam adnatis, collectisve ex humorum affluxu abscessibus sumebant conjecturas de eventuum conditione, & in quam partem Numen, cui fiebat sacrificium, inclinaret. Si quid de extis, aut aliud e manibus exciderat, triste omen censebatur. Ab hepate viscerum præcipuo initium sumebat extorum contemplatio, dein jecinoris, cordis, lienis, fellis &c. Non ex brutorum tantum, sed hominum etiam mactatorum visceribus atque extis quidam Gentilium divinarunt.* Uti de Heliogabalo testatur Ælius Lampridius, & de Juliano Apostata Eusebius l. 7. c. 9. histor. Ecclesiasticæ.

Duo autem erant Auguriorum genera, alia putabantur naturalia, alia ex arte fiebant, & horum meminit Claudius Marius Victor:

Hinc ars est, quod fibra tremit, quod pinna coruscat,
Nubibus elisis, quod fulmina nuntia signant &c.

Idem Author Auguriorum originem conjicit in nimiam hominum curiositatem & malignam deceptionem Diaboli: Hic enim

Illusit captis noscendi ardore futuri,
Vincendique dehinc fati stimulante timore
Solicitis studio magicæ scelus intulit artis,
Quo semet potius colerent, arisque dicatis
Impia thura darent.

Detestabilem hunc cultum fovebant auguria per ipsum eventum subinde comprobata: facile enim erat Dæmoni effectus aliquos futuros ex naturali causarum serie dependentes, sed hominibus incognitos revelare; ita ut religioni ducerent sibi imperiti, prognosticis aruspicum effatis non credere: præsertim cum in eos subinde animadversum esset, qui eadem non curarent, & contemnerent. Sic Appius Claudius Censor, cum adversus responsum sacra Herculis transtulisset ad servos publicos, luminibus orbatus est; & Politiorum Gens, quæ prodidit, intra anni unius tempus extincta est. Inde & factum, ut quæ mero casu fierent, certa tamen boni aut mali auguria censerentur: v. g. si flamma esset lucida vel obscura, recta vel obliqua, pla-

Lactantius l. 2. de orig. error. c. 8.

placida aut agitata &c. quis non rideat & contemnat superstitiosa ejusmodi omina? uti & illa, quæ ex fortuito bestiæ aut hominis occursu, vel ex offensione pedum in limine, ostii strepitu &c. capere solebant. Sic Tibullus de seipso canit:

O quoties ingressus iter mihi tristia dixi
Offensum in porta signa dedisse pedem!

Quis non explodat stultos & inanes ejusmodi metus? & quod apud Claudianum legitur: *Ter cardine verso præsaga cecinere fores*. Aristoteles tantus in doctrina vir asserit in libris de historia naturali: *Sternutamentum augurale signum esse sanctum ac sacrum*. Idem Homerus tradit Odyss. 6. & Theocritus in Helenæ Epithalamio. *Hispanicum etiamnum vulgus* (verba sunt Lælii Bisciolæ) *tametsi Christianum, pro omine sternutamentum habet*. Opinor, ut Germanicum, quod jocatur potius, dum sternutantem dicit, bonam auram præsagire. Videas subinde turbari hominem, si a socio pueri vel canis transitu dividatur, si terreatur subito &c. S. Chrysost. homil. 21. ad popul. ait: *Sæpe domo quis egressus vidit hominem monoculum vel claudicantem, & ominatus est. Si Virgini occurreris, sterilis dies erit &c.* Malum censebatur omen, si lepus ex transverso itineris saliret, si fœta vulpes, aut prægnans canis, vel mulier fusum tenens occurreret &c. Et si ejusmodi

Tom. 1. *l.* 1. *c.* 4.

di casus evenissent, decretis per pontifices supplicationibus, lustrationibus & lectisterniis ad avertendam Numinum iram, & expiandas offensas festum indicebatur.

Jure merito tam vana auguria, frivolaque omina apud sapientiores quosdam Gentilium, aliosque eruditos in nulla æstimatione fuerunt. Phavorinus, Gellius, Boethius, & alii plurimi tum Peripatetici, tum Platonici non solum has vanitates contempserunt, sed argumentis etiam acerrimis oppugnarunt. *Primo* quidem, quod auguria talia parum ad Deorum honorem facerent. Varro dicebat, Deos otiosos ac feriatos fore, si sua consilia corniculæ crederent, aut corvo, hominibus indicanda. Et alibi: non solum otiosos Deos, sed sordidissimos fuisse, si in jecorum & viscerum sterquilinio sua occultassent consilia, hominibus ab insanis Sacerdotibus manifestanda: ut optabilius fuerit, valuisse apud Majores Ciceronis pro A. Cluentio sententiam, pietate & religione & justis precibus Deorum mentes, non contaminata superstitione, neque ad scelus perficiendum cæsis hostiis posse placari; ubi enim fuisse Deos alibi quam in stercore existimabimus? Hujus vanitatis exemplum nobis præbet Tullus Rex, qui cum Jovem iis superstitionibus solicitasset, fulmine cum tota domo deflagravit. *Secundo*, quod vano me-

tu

tu plus boni Augures impedirent. Hinc apud Homerum Iliad. 12. Hector irascitur Polydamanti Panthoi filio refugienti prælium ob sinistrum Augurium:

Tu vero me præpetibus parere jubesque
Auguriis, quæ sperno equidem, quia vana videntur;
Seu dextra spectentur aves Phaetontis ad ortum,
Sive sinistra petant obituri lumina Solis.
Consilio magni Jovis an non fidere oportet?
Quem penes est hominum Divumque æterna potestas.
Optimum id auspicium est, patriam pugnando tueri.

Generosum ejusmodi auguriorum contemptum præsetulit Julius Cæsar contra Jubam pugnaturus. P. Claudius Consul cum audiret pullos quid mali præsagire, eo quod nollent edere, ajebat: si esse nolint, bibant largius, & in Tybrim jussit projici. *Tertio*, quod per ambages & tam obscure explicarentur Auguria, ut quamvis secus contingeret, nunquam fucus aliquis veritati confirmandæ deesset. Quid aptius ad fallendum illum belli ducem? dum nescio quo felici ut putabat Augurio nomen certæ urbis Thessalonicam scilicet perciperet; sive enim vicisset, & urbem reportasset, prædictam fuisse victoriam credi Augures

vo-

voluissent; sive non vicisset, uti revera non vicit, & hoc prædictum esse per ipsum nomen urbis jactassent. Idem enim est Thessalonicam, si syllabas græce dividas, quod θὲς ἄλλῳ νίκην, id est, pone alteri victoriam. Cicero l. de divinatione ait: *Possum innumerabilia recensere, quæ aut nullos habuerunt exitus, aut contrarios*. D. Cyprianus l. de Idol. vanitate: *Pullos edaces Paulus habuit* (quod bonum omen fuerat) *& apud Cannas tamen cæsus est*. *Possem infinita exempla* (verba sunt Augustini Niphi) *inducere eorum Romanorum, qui his vanitatibus inhæserunt, quorum actiones, finesque non evenerunt, ut per Auguria a Vatibus fuit interpretatum*. Hinc explosi sunt merito, qui tam vana omina exquirerent. Cato a quodam interrogatus, quid monstri aut mali portenderent caligæ suæ a soricibus arrosæ? apte eidem reposuit, nihil monstri esse, quod sorices caligas arroserint, sed si sorices a caligis fuissent arrosi. Simile quid refert Cicero lib. 2. de divinat. de angue, qui domi vectem fuerat circumvectus. Mosolamus Judæus, insignis sagittarius, quem Eusebius Misonium nominat, in expeditione quadam cum avem augures ostenderent, ex qua sumendum esset augurium, volantem ictu sagittæ transfodit subridens dicendo: Quomodo avis suam nesciens salu-

L. 2. de Auguriis c. 1.

Josephus in Hecatæo contra Apionem.

lutem nobis de nostra certum aliquid potuit significare?

Cum ab ipsis igitur Gentilibus contemnantur Augurum vaticinia; mirum non est, a Deo, ab Ecclesia, a SS. Patribus condemnari eadem & prohiberi. S. Cyprianus *l.* de Idol. vanit. ut horrorem auguriorum Christianis ingereret, quis illorum Author sit, declarat: Nequissimi spiritus afflatu suo Vatum pectora inspirant, extorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt, *falsa veris* semper involvunt, ut ad cultum sui cogant, & nidore altarium, pecorumque rogis saginati, quæ construxerant, curasse videantur. Hæc est de illis medela, cum illorum cessat injuria; nec aliud illis studium, quam a Deo homines alienare, cum sint ipsi pœnales, quærunt sibi ad pœnam comites, quos ad crimen suum fecerint errore participes. Hinc bene monet S. August. l. 2. de Doctrin. Christiana: *Omnes artifices hujus vel nugatoriæ vel noxiæ superstitionis ex quadam pestifera societate hominum & Dæmonum, quasi pacta infidelis & dolosæ amicitiæ constituta penitus sunt repudianda & fugienda Christiano*. Dæmones enim talibus rebus efficaciam aliquando præstant, ut vanitatibus animos hominum implicent: & propterea in Psalmis dicitur: *Beatus vir, cujus est nomen Do-*

Domini spes ejus, & non respexit in vanitates & insanias falsas.

Quod si quis objiciat, veras & divinas haberi prophetias, si suis non frustrentur eventibus, idemque in auguriis contingere. Sed quam hoc falsum sit, modo dictum est; nec hoc quis miretur: cum ipse dicat Porphyrius: *Sciendum, Deos quoque sæpe mentiri: nam explorata certaque futurorum perspicientia non hominibus tortuosa modo, sed & Diis ipsis incertissima, plurimisque referta ambagibus est.* Vide Rhodiginum l. 2. cap. 12. Aristoteles præterea cum Cicerone negavit a Deo determinatam futurorum veritatem cognosci. Nihil proinde stultius, quam casus rerum omnino fortuitos in vicem certi ominis suscipere, & si quid minus favens videatur, tam inani metu concuti; si prosperum, tam præfidenti gaudio exultare.

LEVITICI

CAP. XIX. V. 26.

Neque observabitis somnia.

CUm Auguriis prohibetur a Deo somniorum observatio; cum ex uno oriantur principio, & ad eundem a Dæmone fi-

finem dirigantur. Quidam myſtica ſenſa ex ſomniis conati ſunt elicere, & multas divinationum ſpecies efformare. Hos Cicero L. de Divinat. jure irridet, maxime Pythagoreos & Platonicos; qui, ut certius aliquid ſomniarent, cultu exquiſito ſe ad ſomnum præparabant. Pythagoram cantu & ſono lyræ ajunt ſomnum captaſſe, ut ad læta ſe ſomnia præpararet. Bene ait Cicero libro prædicto, idem de ſomniis exiſtimandum eſſe, quod de imaginatione inſanorum & ebriorum, quibus multa apparent & videntur, quæ vera non ſunt.

Interim magna ſemper fuit apud omnes Gentes ſomniorum authoritas, Romanas, Græcas, & Barbaras, & fuerunt apud omnes, qui judicandi per ſomnia artem magna ſuperſtitione exercerent. Artemidori commentarius artis hujus circumfertur magiſter, mille nugis & præſtigiis refertus. Imo quædam in hunc finem oracula fuiſſe, quæ de inſomniis reſponſa darent, eaque explanarent, author eſt Plutarchus l. de defectu oraculorum.

Ariſtoteles extremo de divinat. libro c. 1. negat ulla a Deo ſomnia mortalibus dari, eo quod quibuslibet dentur non optimis & prudentiſſimis. Quæ & fuit Epicuri ſententia, ut Tertullianus de eodem ait: *Vana in totum ſomnia Epicurus judicavit, liberans a negotiis divinitatem, & diſſol-*

vens

vens ordinem rerum &c. Fuerunt e contra alii, qui omnia ſomnia cenſuerunt divina eſſe, quos Chalcidius refellit in Timæum Plat. ſcribens; vel ideo, quod multa ſomnient homines irreligioſa & impia. Melius profectо Joannes Franciſcus Picus tres definivit in univerſum cauſas ſomniorum eſſe, divinam unam, Dæmoniorum alteram, tertiam naturalem; & hanc quidem oriri ex plenitudine ſtomachi, vel inanitate, vel etiam antecedentibus cogitationibus & curis diurnis (ut experimur ipſi) docet S. Gregorius l. 4. Dialog. cap. 48. *A Deo autem immitti ſubinde ſomnia, non probis ſolum, ſed etiam infidelibus, ut Pharaoni & Nabuchodonoſori, Scripturæ nobis multis in locis teſtantur*. Ut vero quæ a Deo immiſſa ſunt ſomnia, vel a Dæmone, diſcernantur, non levi opus eſt diligentia & cautela. Sancti viri, ait S. Gregorius Magnus, inter illuſiones & revelationes ipſas, viſionum voces & imaginem quodam intimo ſapore diſcernunt, ut ſciant, quid in bono ſpiritu percipiant, & quid ab illuſore patiantur; nam ſi erga hæc mens hominis cauta non eſſet, per deceptorem ſpiritum multis ſe vanitatibus immergeret; qui nonnunquam ſolet multa vera prædicere, ut ad extremum valeat animam ex una aliqua falſitate illaqueare. *Multos errare faciunt ſomnia*, ait Eccleſiaſtes: *& excide-*

ciderunt sperantes in illa, cap. 5. Quare *nisi a Domino missa fuerit visitatio, ne des insomniis cor tuum*. Ecclesiastici cap. 34.

LEVITICI

CAP. XIX. V. 27.

Neque in rotundum attondebitis comam, nec radetis barbam.

VArio comarum cultu quondam usi sunt Gentilium Sacerdotes: aliqui raso erant capite, alii barbati, imberbes aliqui, alii comati. Quibusdam barba erat brevior, aliis promissior. Stephanophori Herculis Sacerdotes apud Græcos promissam comam & coronam solebant ferre, ut ait Alexander ab Alexand. l. 6. c. 12. Econtra Isiaci, id est Isidis Sacerdotes apud Ægyptios raso erant capite. Hinc Lactantius l. 1. c. 21. ait: *Eos deglabrato corpore pectora sua tondere*; & Aurelius Prudentius de festis eorum: *Mimica ridendaque suis solennia calvis*. De iisdem scribit Polydorus Virgilius: *Commune initiatis omnibus insigne est vertex rasus, præcipuum sacri profanique capitis discrimen*. Et hæc videtur causa, cur Deus prohibuerit Judæis barbam non radere, neque in rotun-

dum comam tondere, ne in hoc cum Gentilibus convenirent, cum solerent illi in capillis rotundam tonsuræ formam facere; rati hanc figuram præ cunctis aliis, Diis suis placere: est enim omnium perfectissima: sic constituta, ut nihil demi, nihil addi possit; hæc una ubique incipit, ubique desinit; si mavis, nunquam incipit, numquam desinit. Et cum motus perpetui causa sit, æternitatis est symbolum. Hinc
L. 10. c. 3. apud Nicephorum legitur, visa circulari forma contremuisse illos, qui Juliano sacrificanti adstabant, cum in extis apparuisset signum Crucis corona circumdatum: hinc enim conjectores isti cœperunt suspicari, nullos nec temporis nec locorum fines doctrinæ Christianæ statutos esse. Bene proin de circulari figura canit Manilius l. 1.

Hæc æterna manet, Divisque simillima forma,
Cui neque principium est usquam, nec finis in ipsa.

Symbolum quoque absolutæ perfectionis figura est sphærica, cum sit capacissima ex omni parte vergens in se, in suam rotun-
Cicero. ditatem compactilis: *Nullus in ea angulus eminet, nullique potest injuria esse ob-*
Virgil. *noxius*. Ita vir bonus & perfectus: *Mundi instar habens teres atque rotundus*, non ex fortuna pendet, nec foras vergit, sed in-

intra se collectus, ita vitam suam disponit, ut prius justo trutinæ examine penset singula, ne quid hiet, ne quid protuberet. *Angulus æquis partibus ut coeat, nihil ut deliret amussis.* Est igitur figura sphærica imago summæ perfectionis & æternitatis, adde, veritatis: Idem enim est Latinis, rotunde fateri, quod, veritatem dicere, & hoc sensu Hebræorum sapientes ineffabile Dei nomen videntur circulo inscripsisse; ut docerent bonitatem Dei in centro, veritatem in circumferentia inveniri. Empedocles interrogatus, quid esset Deus? Respondit esse circulum, cujus centrum est ubique, circumferentia nusquam. Vel in ipsa mundi hujus tam cæli quam terræ fabrica hujus figuræ patet excellentia. *Virgil.*

Verisimile est harum rationum intuitu Gentiles fana ac templa sua in formam rotundam extruxisse: quemadmodum Romæ Pantheon extructum fuit. Sic refertur Numam Pompilium Vestæ, id est Terræ in se rotundæ, matri & altrici omnium, ædem rotundam consecrasse. Cum igitur eundem in finem Ethnici capita sua Dæmoniis consecraturi, ut iisdem magis placerent, cæsariem suam rotundam in figuram attonderent, jure hic a Deo vetatur Judæis, ne hanc tonsuræ figuram sequerentur; sed naturam potius, & dispositionem vultus, eamque in vestibus & capillitio ser-

varent munditiem & decorem, quo cum idololatris minime convenirent. Et ideo forsan tempore Optati Milevitani, & Ambrosii Sacerdotes Christiani non radebantur, ut ipsimet testatum reliquerunt: verisimile enim est adhuc ea tempestate Sacerdotes Isidis extitisse, qui caput radebant; ut videre est apud S. Ambrosium lib. 4. Epist. 30., ubi conqueritur carpi immerito ab Ethnicis mutationem habitus in Christiano, non enim dedecens esse censent: *Cum ipsi capita & supercilia sua radant, si quando Isidis suscipiunt sacra, si forte Christianus vir attentior sacrosancta Religioni, vestem mutaverit, indignum facinus appellant*. Æquum proinde erat, ut tunc temporis non essent Presbyteri Religionis nostræ *rasis capitibus, sicut Sacerdotes cubitoresque Isidis atque Serapidis*. Nunc vero, cum omnis ejusmodi idololatria prorsus sit abolita, & quamvis non foret, nullum omnino sit periculum per rituum quorundam de se indifferentium imitationem, in ipsam incidendi superstitionis substantiam; judicare quivis non difficulter potest, modo non fuerit affectu pravo præoccupatus, quam sit insulsa, futilis & maligna hæreticorum calumnia, Magdeburgensium v. g. Hortensii Landi aliorumque; dum effutiunt, Catholicos inter abusus cæteros, ritus etiam Gentilium, Tonsuram ac rasuram

S. Hieronymus in cap. 44. Ezechiel.

Cle-

Clericorum, & Religiosorum in veram Christi Ecclesiam introduxisse, nec eosdem a Gentium sacrificulis discrepare. Nemo enim non novit, in orbe terrarum nullam fuisse & esse religionem adeo ab altera diversam, quin in re aliqua, aut quibusdam conveniant. Sic Judæis multa fuerunt cum Ethnicis communia; fuerunt nihilominus Sacerdotia illorum cum Religione toto cælo diversa. Hinc bene ait S. Augustinus: *Etsi usus quarundam rerum similis esse videatur nobiscum cum Gentibus, longe tamen aliter his utitur, qui ad alium finem earum usum refert, & aliter, qui ex his Deo gratias agit, de quo falsa non credit.* *Lib. 20. contra Faustum cap. 2.*

Ratio horum omnium est, quod res adiaphoræ, cum externis actionibus, a fine & intentione boni vel mali titulum sortiantur. Ethnicorum ritus & cæremoniæ ad Idolorum & Dæmonum cultum referebantur; Catholicorum ad colendum unum verum Deum: hinc talis est differentia inter Gentiles ritus & Christianos, qualis est sacrum inter & sacrilegium, Deum inter & Diabolum. Accedit ad majorem Novatorum nostrorum confusionem, quod eandem calumniam (quod Catholici scilicet Gentiles imitentur) olim objecerint Christianis Manichæi; uti & Vigilantius; quemadmodum legere est apud S. Augu-

ſtin. Lib. 20. contra Fauſt. cap. 4. & S. Hieron. Lib. contra Vigilantium: & hinc patet, quorum parentum filii ſint heterodoxi, mali corvi, malum ovum.

Quod ſi quis cauſas ſcire deſideret, quare ordinarit Eccleſia tonſuram Clericorum & raſuram; ſunt hæ admodum piæ & perquam religioſæ.

1. Eſt, quod cum comæ laxiores levitatis cujuſdam indicium ſint & vanitatis, a qua longe Clerici abeſſe debent, tonſura illud removeat; & ſi viro ignominia eſt, teſte Apoſtolo, ſi comam nutriat, magis Religioſo & Clerico.

2. S. Auguſtinus l. de opere Monach. prope finem ait: *Patres Legis veteris merito geſtaſſe longos capillos; quia myſteria redemptionis nondum erant revelata*. At nunc poſtquam Chriſtus apparuit, convenit, ut qui Chriſto ſunt conſecrati, contrarium ablatione comarum ſignificent.

3. Ut ſciant perſonæ Deo ſacræ reſecanda eſſe ſuperflua: cum non deceat eos negotiis ſæcularibus implicari. S. Auguſtinus in libro de contemptu ſæculi ait: *Sacerdotes minimam partem capillorum in capite detinent; ut per eorum abraſionem ſe minimam terrenorum ſolicitudinem agere deſignent: ut aptiores fiant ad contemplandum*
L. 4. c. 8. *cæleſtia*. Raſura enim capitis, ut Polydorus Virgilius ait de Iſiacis, admonet Sacer-

cerdotes, spretis omnibus humanis voluptatibus, oportere cælestia tantum meditari.

4. Abscissio capillorum, & abscissorum traditio erat olim in arrham & pignus fidei datæ: ita qui ad sortem divini ministerii admissus est, meminerit inter dispensatores Dei fidelis inveniri, & fidem Deo datam non facere irritam.

5. Nihil notius ex profanis Scriptoribus & sacris Literis, quam in signum luctus tonsuram solere fieri: hinc illa merito confertur Sacerdotibus, ut moneantur officii sui, quod *est* nunc, cum sponsus absit, lugere; inter Templum & Altare plorare coram Domino pro peccatis populi; portare manipulum fletus & doloris, ut cum exultatione percipiant mercedem laboris.

6. Signum humilitatis & contemptus sæculi tonsura est, ut qui illam præseferunt, pro Nomine JESU contumeliam pati non erubescant: nam circumtonderi comam, Græcis in proverbio idem est, quod ludibrio haberi.

7. Qui olim e naufragio enatabant, caput radebant. Etiam Clerici, & magis Religiosi magno Dei beneficio erepti sunt ex hoc sæculo nequam, furenti vitiorum Oceano; hinc non male eis tonsura convenit, securitatis symbolum.

8. Magnus denique Dionysius ait: Per tonsuram significari puram & candidam,

 nullo

nullo vitio & artificio fucatam vitam, qualem fatentur omnes a Dei ministris transigi oportere.

Sed quæ causæ ordinationis in Concilio Toletano IV. factæ, ut Levitæ, Lectores, & Sacerdotes detonso superius capite, inferius solam circuli coronam relinquerent?

1. Ut meminerint Sacerdotes, cujus Domini sint ministri, & cujus membra sint capitis, scilicet JESU Christi spinea corona circumdati & crucifixi. Albinus Flaccus. V. Beda, aliique. Nec decere, delicatum membrum vivere sub coronato capite, ut notavit S. Bernard.

2. Fertur Simon Magus formam quadratam Clericorum suorum verticibus impressisse; nec inepte homo sordidus talem elegit, utpote angulos habentem: quia, ut scite D. Bernardus, *ubi angulus, ibi sordes*. At Ecclesia rasuram capitis rotundam suis præscripsit, quæ nec angulos nec sordes pateretur.

3. Ut memores dignitatis suæ, quæ Regalem etiam antecedit, omnia verba, cogitata & opera statu & officio suo metiantur. Regiis enim, id est excellentissimis operibus decorandum est Regale Sacerdotium. 1. Petri cap. 2.

4. Corona, ut dictum, symbolum est absolutæ perfectionis, quam si non habeant Sacerdotes, saltem sibi studeant comparare:

re: cum præcipue iisdem dicatur: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est*. Matth. cap. 5.

5. Signum gloriæ & Beatitudinis corona est. Hinc bene ait S. Hieronymus: *Coronam habent ab institutione scilicet Romana Ecclesia, in signum regni, quod in Christo expectatur*,

LEVITICI

CAP. XIX. V. 28.

Super mortuo non incidatis carnem vestram; neque figuras aliquas, aut stigmata faciatis.

IN more habebant Gentiles aliqui, carnem suam in charorum funere incidere, quos inter Syri numerabantur, quorum vicini in terra Chanaan futuri erant Judæi. De Scythis refert Herodotus, quod in Regum funere aurem sibi deciderint, circumciderint brachia, & sagittis sinistram manum trajecerint. *Barbarorum nonnulli*, ait Plutarchus, *corporis partes abscindunt, nares scilicet & aures, reliquum quoque corpus plectentes*. Et imprimis Gentes mulctam genibus infligere solitos, tradit Lucianus; eo quod eam corporis partem vete-

In consolat. ad Apollonium.

In lib. de luctu.

veteres religiose observarent, & in ea miserationis & condolentiæ sedem locarent, ut docet in Plautum Lambinus. Guilielmus Parisiensis lib. de legibus cap. 14. putat incisiones super mortuos factas esse propter placandum Deum inferorum; id quod confirmari potest ex eo, quod Servius ait in illud Æneid. 3. *Unguibus ora soror fœdans & pectora pugnis*: Varronis testimonio, mulieres in exequiis & luctu ideo solitas ora lacerare, ut sanguine ostenso inferis satisfacerent.

Non tamen leguntur semper se ipsos Gentiles cruentasse, sed alios subinde, captivos præsertim & maleficos immolasse, & quasi inferias placandis inferis obtulisse, ut Tertullianus docet lib. de spectaculis. Sic apud Homerum Iliad. ψ legitur in Patrocli funere 12. Trojanos juvenes bello captos mactatos esse. Postmodum gladiatores instituti sunt, qui inter se confligendo caderent. Hinc ortum est, ut in funeribus potentum maxime frequentia gladiatorum exhiberentur spectacula. Vide Tertul. supra & Lipsium in Saturnal. lib. 1. cap. 8.

Videntur quoque incisæ aut inustæ carni notæ, fuisse Gentium quarundam, hominumque discernicula; & de iis Philo loquitur lib. de Monarchia; ubi ait, aliquos fuisse, qui alios non reciperent, nisi literis in corpus ferro ignito inustis, ut deleri

non

non possent in confirmationem servitutis. Oleaster narrat, Arabes & Saracenos, & quosdam Insulares apud Insulas fortunatas degentes habuisse pectora, & brachia certis quibusdam notis & literis inscripta. Claudianus lib. 1. in Rufin. de Gelonis canit: *Membraque qui ferro gaudet pinxisse Gelonus*. Lucianus in l. de cultu Deæ Syriæ prope finem de Assyriis ait: *Certis notis compunguntur omnes, alii quidem in vola manus, alii autem in cervice; & inde est quod cuncti Assyrii notas inustas habent*. Sic mos erat viris primariis apud Babylonios, quorum sub eo nomine meminit Ezechiel cap. 23. notis carni impressis insigniri. Herodotus lib. 5. de Thracibus: *Punctis notatas esse frontes nobile judicatur, non esse notatas punctis, ignobile*. Cum igitur Judæi quasi in medio earum Gentium essent habitaturi, vetuit omnino Deus, ne superstitiosis ejusmodi notis carnem suam inquinarent.

Celeberrimus præterea apud Ethnicos incisionum & punctionum usus erat in Deorum sacrificiis. S. Augustinus lib. 12. de Civit. Dei cap. 27. ait: *Quod Sacerdotes Magnæ Matris in festo ejus sanguine se perfunderent, & brachiorum carnes inciderent*. Item Cyprianus in carmine ad Senatorem Apostatam de Sacerdotibus Cybeles;

Mente

Mente fremunt, lacerant corpus, fundantque cruorem.

Refert Abulensis ex Judæorum traditione solitos Idololatras accipere laminam auream inscriptam nomine Idoli, & inflammatam carni suæ apponere; ut ita nomen illud carni suæ profunde impressum gererent:

Prudentius in Martyrio Romani.

Quamcunque partem corporis fervens nota
Stigmarit, hanc sic consecratam prædicant.

Confirmat idem Primasius in verba Apostoli, ut *contumeliis afficiant corpora sua*, ad Rom. 1. sibi characteres & ustiones infligunt in consecrationibus Idolorum. De sacrificiis, quæ Bellonæ fiebant, ait Lactantius: *In quibus ipsi Sacerdotes non alieno, sed suo cruore sacrificant; sectis namque humeris, & utraque manu districtos gladios exerentes currunt, efferantur, insaniunt.*

Lib. 1. de falsa relig. c. 21.

Tertul. in Apolog. c. 9. Hodie istinc Bellonæ sacratus sanguis de femore proscisso in palmulam exceptus datur signatis. Nec viri solum, sed & fœminæ cruenta ejusmodi sacrificia peregère. Sic enim de quadam Tibullus canit:

Ipsa bipenne suos cædit violenta lacertos,
Sanguineque effuso spargit inepta Deam:
Statque latus præfixa veru, stat saucia pectus,
Et canit [illegible]entus, quos Dea magna monet.

A

A ritu tam nefando ſignandi carnem, & colendi Deum prorſus ſuos abſtinere Deus voluit. Quale vero ſignum Chriſtiani habere debeant, Petrus Damiani innuit Serm. de S. Caſſiano: *Habeatur Chriſtus in corde, habeatur & in operatione ſignaculum, ut ejus in nobis viva ſemper memoria & ſubrepentium cogitationum prava compeſcat, & in his, quæ extrinſecus agimus, Crucifixi characterem evidenter exhibeat*. S. Gregorius Nazianz. oratione in Laudem Cæſarii ait: *Solam Dei, in quo, & in quem creati ſumus, notam in nobis inuſtam feramus, tantum ab eo informati & impreſſi, ut ab illo ſolo noſcitemur*. Monet denique Petrus Damiani opuſc. 25. cap. 2. *Munditiam ut Sacerdos in ſe valeat præ cæteris poſſidere, ſtigma Sanguinis Chriſti ſtudeat in ſe ſignanter exprimere, ſicut dicit Apoſtolus: Ego ſtigmata JESU ſemper in corpore meo porto*.

LIB. NUMERORUM

CAP. XXI. V. 29.

Væ tibi Moab, periſti popule Chamos.

PLura a Moabitis idola fuiſſe culta ex Scripturis conſtat: hinc incertum eſt;

an Chami idolum idem fuerit, quod Priapi. Idem fuisse censet S. Hieron. in Isaiæ cap. 15. ubi ait: *In Nabo erat Chesmo idolum consecratum, quod alio nomine appellatur Beelphegor*. Alii opinantur non improbabiliter Chamum fuisse Bacchum: primo quidem, si radix consideretur nominis Chamos tam ex Græco, quam Hebræo. *Secundo* si ritus & ceremoniæ religionis Bacchicæ spectentur: Chamos enim a Græco κῶμος videtur derivari, quod nomen est comessationis convivalis & compotationis crapulosæ, ex qua in profundum somnum, a Græcis κῶμα nominatum, homines solent incidere. Ad hæc κωμάζειν idem fere est, quod petulantius se gerere & lascivire: tam nefandæ enim libidines, cantus, saltationes & tripudia fiebant in orgiis seu festis Baccho sacris, ut vel ipsa horreret impudentia cum iis in lucem prodire. Hinc, ut Plutarchus & Pausanias testantur, de nocte comessationes illæ solebant institui, Bacchoque sacrificium cum ingenti bacchantium per vicos & compita, præcipue fœminarum, insania & clamoribus. Propterea etiam nonnulli volunt Chamos deduci a Syro & Chaldæo verbo Camas, quod occultare vel latitare significat, atque ita per Chamum intelligi Bacchum νυκτέλιον.

Si sensus spectetur historicus, forsan occasionem fabulæ dedit Moabitarum Pa-

triarcha Loth, de cujus ebrietate & incestu Liber Genesis meminit cap. 19. Alii quidam Mythologi, cum Saturnum velint Noemum fuisse, inferunt quibusdam ex rationibus Chamum sive Jovem Hammonium fuisse Cham Noemi filium. 1. quidem ob cognationem nominum: parum enim inter se differunt Cham & Chamos. 2. Jupiter Græce Ζεὺς nominatur, quod idem est ac calor & fervor: ita & Cham calidum vel calorem significat. 3. Jupiter fingitur fuisse tertius Saturni filius: sic Cham fuit Noemi natu minimus, ordine tertius. 4. Jupiter cœli Dominus censebatur; Cham Dominus fuit Africæ, quæ cum supra verticem habeat Solem cum Planetis, putatur cælo vicina. Sic de Lybia canit Lucanus lib. 9. *proxima cœlo est, ut probat ipse calor.* 5. Multi loco Ham scribunt Cham, & a priscis Ægyptiis Chamia, Ægyptus nominatur. Quidam non sine fundamento afferunt, Gentiles per cultum illum, qui Baccho & verendis ejus publice deferebatur, & apud S. Augustinum lib. 7. de civit. Dei c. 21. descriptus legitur, voluisse indicare virtutem generativam, & naturæ fœcunditatem, eamque ut divinam commendare ac venerari; in eo summopere reprehensibiles, quod simplicem rerum naturalium veritatem sub involucris tam obscœnis texerint, & tam nefandis ritibus celebrarint.

In-

In ſenſu Tropologico populus Chamos ſunt omnes dediti comeſſationibus & ebrietatibus, *quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum.*

NUMERORUM

CAP. XXV.

Fornicatus eſt Populus cum filiabus Moab; quæ vocaverunt eos ad ſacrificia ſua, at illi comederunt, & adoraverunt Deos earum, initiatuſque eſt Iſrael Beelphegor.

BAlac Moabitarum Rex timens ſibi ab Iſraelitis per Balaam ariolum cogitabat maledictionibus eos ſubvertere; ſed quod vi maledictionum Balaam non potuit, per mulieres effecit. Cum enim reverti jam vellet ad populum ſuum, ajebat Regi Balac: *Dabo conſilium, quod populus tuus populo huic faciat extremo tempore.* Sed quod illud conſilium? explicat illud Orig. homil. 20. in Lib. Numer. ita loquens in perſona Balaam ad Balac Regem: *Populus hic non propriis viribus, ſed Deum colendo vincit, & pudicitiam conſervando. Si vis eum vincere, primo eorum pudicitiam deji-*

dejice, & sponte vincentur. Sed adversum hæc non virtute militum, sed mulierum decore pugnandum est, nec armatorum vigore, sed mollitie fœminarum. Electam congrega speciem puellarum, ludentes pedibus eant, manibusque plaudant. Forma vincit armatos, ferrum pulchritudo captivat, vincentur specie, qui non vincuntur prælio. Dictum, factum. Credibile tamen est, prius Judæos invitatos fuisse a mulieribus ad sacra sua, ad comedendum idolothyta, ad adorandum Beelphegoris Idolum specie tam execrabili & pudenda propositum, ut vel solo aspectu cultores suos ad omnem facile turpitudinem incitaret. *Vocaverunt eos ad sacrificia sua*; quæ non ex minima sui parte in epulis & fornicationibus consistebant. *Comederunt, & adoraverunt Deos earum, initiatusque est Israel Beelphegor*.

Communior sententia est, fuisse Idolum illud Priapi, satis ex Etymo turpitudinem suam indicantis: idem enim Hebræis est, quod os nuditatis, vel Dominus hiatus aut aperturæ. Nonnulli deductum esse volunt a Græco πρίειν, quod ardere aliquando significat, & accendere. Hinc & flammeo habitu ornatus cernebatur, dextera sceptrum tenens &c. Obscœnam ejus effigiem cum abominandis ritibus apud Oleastrum descriptam habes in caput 25. Numerorum, *NB. Ruber ab Horatio & Ovidio vocatur.*

ego referre illa supersedeo, ne contingat, castas lectoris aures rerum obscœnitate verberari. Ad hæc tricubitales statuas habebant Gentiles Priapo sacras ex variis materiis, quas in ejusdem honorem ex collo suspensas circumferebant, quasi amuleta contra maleficium. Credebant quoque per fornicationes & adulteria, velut opera Beelphegori gratissima, se sublata sterilitatis infamia numerosa prole donandos; id quod non parvum erat Judæis illicium ad superstitionem pronis, Priapi sacra lubentius celebrandi. De ejusdem Sacerdotibus scribit Athenæus lib. 14. quod agerent ebriorum personam (Priapum enim Veneris & Dionysii seu Bacchi filium fuisse ait Diodorus) coronati manicas habebant floridas, & semialbis tunicis utebantur, subtili ad talos usque amiculo tecti, cum silentio per posticum egrediebantur; & ubi in medium pervenissent saltationem, ad Theatrum conversi dicebant: *Recedite, Deo locum date*. Matronæ Idolum illud circumferebant, quæ præterea tam indecora committebant, ut honestus animus vel cogitare eadem horreat, nedum profari. S. Hieronymus Deum illum maxime a mulieribus cultum fuisse asserit.

L.1.advers. Jovinian.

Originem suam ejus sacra in Ægypto primum habuere, quæ dein in Græciam propagata; a Romanis postmodum cooptata,

ta, diffuſaque adeo & in tantum excrevere, ut etiam poſt adventum Chriſti non defuerint, qui ſacris ejuſmodi abominandis initiati ſe turpiſſimo Phegori manciparent; uti ex deteſtabili Gnoſticorum ſecta apud Epiphanium licet colligere, quos mirum non eſt rebus obſcœniſſimis fuiſſe deditos, cum ſuperſtitioſis Gentilium principiis eorum Religio inniteretur. Vere dixit Sapiens cap. 14. *Initium omnis fornicationis eſt exquiſitio Idolorum.*

LIBER DEUTERONOMII

CAP. IV.

Ne forte decepti faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem aut imaginem maſculi vel fœminæ. v. 16. Similitudinem omnium Jumentorum quæ ſunt ſuper terram, vel avium ſub cælo volantium. v. 17. Atque Reptilium, quæ moventur in terra, ſive piſcium, qui morantur ſub terra in aquis. verſ. 18.

PRohibentur hic primo fieri imagines hominum vel Angelorum, in eo loco, habitu, ſitu aut ſtatu, qui ad honorem vel cultum aliquo modo referri poſſit, & occaſionem præbere Idololatriæ,

Masculi & fæminæ similitudines vetantur, Deorum præsertim & Dearum, Gentium more sculptæ vel depictæ, ut Jovis & Junonis, Veneris & Dionysii, Asthartes & Priapi, Apollinis & Dianæ &c. ne eosdem adorarent: quanquam ipsa naturalis ratio dictat, naturæ divinæ sexus diversitatem non posse convenire; ut pulchre ostendit Arnobius lib. 3. adv. Gentes: *Adduci, hoc ut credamus, non possumus, immortalem illam, præstantissimamque naturam divisam esse per sexus, & esse partem unam mares, partem esse alteram fæminas*. Quem quidem locum plane jam dudum homines pectoris vivi tam Romanis literis explicavere, quam Græcis, & ante omnes Tullius Romani disertissimus generis. Probat deinde, ex diverso sexu inferri necessario, Deos habere corpora, quæ ad generationem servire possint; immunditiis visu, audituque horrendis Deas immisceri. Quæ quam absurda sint, & ab omni divinitate aliena esse debeant, quis non videt?

Quatuor rationibus oppugnat Lactantius sexum Deorum: Lib. 1. de falsa Relig. cap. 8. & cap. 16. 1. *Diis, si sunt immortales, quid opus est altero sexu?* cum hic tantum successioni servire debeat. *Deo autem, qui sempiternus est, neque alter sexus, neque successio necessaria est*. 2. Si filios

filios Deos habere velit, quis dubitet, *quin is, qui omnipotens est, sine usu & opera famina possit filios procreare?* cum etiam animalcula quædam sine matre e lignis & foliis nasci observemus. 3. *Ex duobus sexibus alter fortior, alter infirmior est: Imbecillitas autem non cadit in Deum, ergo nec famineus sexus.* 4. *Quis tandem erit genitorum Deorum immortalium numerus? nec enim vincuntur ab hominibus fœcunditate. Nisi forte arbitramur non generandi causa, sed tantummodo capiendæ voluptatis duos esse sexus Deorum, & ea exercere, quæ homunculos & facere & pati pudet.*

Secundo. Vetantur jumentorum & pecudum imagines, quas divino cultu Gentiles prosequebantur, facere. Sic Ægyptus passim Vaccam colebat, Memphis taurum, Delphi lupum, Sais ovem, Bubastus canem, Mendes hircum, mustelam Thebæ, Heracliotæ Ichneumones, Athribis Mygalim seu murem araneum &c. Jure Paschalis vetus Poeta Christianus hominum illorum arguit & deplorat cæcitatem ita canens lib. 1.

Heu miseri! qui fana colunt, qui corde sinistro
Religiosa sibi sculpunt simulacra, suumque
Factorem fingunt, & quæ fecere, verentur.

Quis furor est, qua tanta animos dementia ludit?
Ut volucrem, turpemque bovem, tortumque draconem,
Semihominemque canem supplex homo pronus adoret.

Tertio. Similitudinem avium Deus prohibuit: nam & illas ab Ethnicis in Deorum numerum relatas fuisse constat. Græci gallos coluerunt, Thessali ciconias, quas occidere apud eos nefas erat, Latini picos, Romani anseres, Syri columbas, Tanitæ accipitres, Alexandrini Ibim, alii Ægyptiorum gryphones, aquilas, & vultures, quibus ad auspicia maxime usi sunt.

Quarto. Imagines reptilium, quæ moventur in terra. Trogloditæ testudines Veneri consecratas, teste Plinio, colebant & adorabant. Ægyptii araneos, cantharos, scorpiones, scarabæos. Accaronitæ mures & vespas. Serpentem Græci, Phœnices, Ægyptii, Romani, & imprimis celebrem illum serpentem Epidaurium, qui per legatos Epidauro accersitus Romam dicitur pestilentia liberasse; sed *per inhabitantem sibi Dæmoniarcham*, ut bene notavit Lactantius libro secundo capite decimo septimo.

Quinto. Similitudinem piscium. Nam & pisces divino cultu Ægyptii honorabant; imprimis tamen anguillam & del-

phi-

phinas, quos Neptuno voverant: item Crocodilum, quem Æſculapio attribuere. Specialiter illum coluit urbs Ægypti Arſinoe; Oxyrynchus vero lucium Niloticum. Eandem piſcibus venerationem præſtitere Inſulæ Phari incolæ, & civitatis Syenes ſive Thebaidis, uti & Syri, de quibus Xenophon teſtatur lib. 1. de exped. Cyri, in qua meminit cujuſdam fluminis Chalum nomine, in quo magni erant piſces & manſuefacti: Eos, inquit, Deos arbitrantur Syri, nec injuria illos affici patiebantur. Ab aliis gentibus Neptunus, Thetys, Tritones, Nereides, Najades Dii, Deæque aquei colebantur, quoad ſuperiorem partem in forma hominis, quoad inferiorem vero piſcis ſpeciem referebant. Amphibia quoque animalia, ut ranas, mergos, anates Deorum loco habuit & coluit Ægyptus, quæ ut omnis ſuperſtitionis principium, ita & compendium meretur nominari.

Originem cultus animalium refert Euſebius Cæſar lib. de præpar. Euang. cap. 1. Dicunt alii ab Ægyptiis ea animalia, quorum imaginem victorioſi duces geſtarunt, quaſi offenſionem belli ad hoſtes ipſi repuliſſent, ad Deos relata fuiſſe. Ridiculam cauſam affert Natalis Mythologus lib. 6. cap. 21. cum gigantes cælum oppugnarent, Typhœum Diis primo tam terribi-

lem apparuisse, ut omnes in Ægyptum aufugerint, & in varia ibidem animalia fuerint transmutati. Similem fere refert Diodorus Siculus: Deos, cum ab initio pauci essent, prævalente hominum malorum multitudine, in animalia se transformasse, aut potius sub eorum formis latuisse; postmodum vero, ubi rerum potiti essent, jussisse, ut illas bestias venerarentur homines, quarum beneficio latuissent. Plures alias adducit causas prædictus Author, quarum verisimilior est tertia, utilitas scilicet ab animalibus proveniens: quorum enim beneficio vel a malis liberi erant Gentiles, vel bonis fruebantur, colebant summopere Deos esse censentes, & *gratiæ retributionem maximum vitæ præsidium esse judicantes*. Ne igitur in errorem similem laberetur Hebræus populus, omni animalium sculptura aut pictura eidem divina lege interdictum fuit, quam tam sancte legitur observasse, etiam post adventum Christi, ut cum Herodes supra majorem portam Templi dedicasset donum pretiosum, Aquilam auream magni ponderis, claro meridie ascendens aquilam inde detraxerit, & inspectante congregata in templum multitudine securibus conciderit.

Lib. 1.

Joseph lib. 17. Antiqu. cap. 8.

Contra eandem legem peccari a nobis Catholicis obganniunt hæretici. Sed rejecta

cta ſpretaque eorum calumnia, (cum nullum modo ſit Idololatriæ incurrendæ periculum) magis attendimus & ſequimur verba ſecundæ Nicænæ Synodi & Generalis ſeptimæ Anno 789. habitæ: *Ex legali, prophetica, Apoſtolica, Patrumque traditione inſtructi ſumus, hanc eſſe veritatem, pietatemque, ut in ſacris Eccleſiis veneranda imagines colantur; fuerunt enim facta,* ut S. Gregorius Papa ait, *ad ædificationem imperiti populi, ut neſcientes literas ipſam hiſtoriam attendentes diſcerent, quid actum ſit*, & ſuum inde ſpirituale emolumentum caperent. *Solennitates enim* (& picturæ) *Martyrum exhortationes ſunt Martyriorum; ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat.*

Lib. 7. Epiſt. 109.

S. Auguſt. ſerm. 47. de Sanctis.

DEUTERONOMII

CAP. XIII. V. 2. 3.

Si ſurrexerit in medio tui Prophetes; qui prædixerit ſignum atque portentum, & evenerit, quod locutus eſt, non audies verba Prophetæ illius.

VEra & Divina prophetia eſt certiſſima futurorum præſcientia, non talium, quæ in eventu ſuo a cauſarum natura-

turalium ſerie dependent, ſed quorum nullum in rerum natura argumentum eſt, vel a libera tantum voluntate proveniunt ad bonum finem, ut malorum correctionem, vel bonorum ſolatium ſemper ordinata. Quodcumque aliud vaticinium his ſignis deſtitutum, falſum eſt, aut ſi fortuito verum ſit, malignum eſt. Cum Hananias Pſeudo-Propheta tam audacter auſus eſſet aſſerere: *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael*, omnia ſcilicet vaſa a Nabuchodonoſore ablata brevi ad domum Domini referenda eſſe: reſpondit Iſaias: *Propheta, qui vaticinatus eſt pacem, cum venerit verbum ejus, ſcietur Propheta, quem miſit Dominus in veritate*. Et talem ſine dubio audiendum eſſe, nemo negaverit. Quid igitur cauſæ, quod in præſenti textu dicatur: *Si ſurrexerit in medio prophetes, qui prædixerit ſignum atque portentum, & evenerit, quod locutus eſt, non audies verba prophetæ illius*. Ex duplici capite ejuſmodi prophetia damnatur: tum, quod vere talis non ſit, cum ex conjectura, vel ex mera naturalium ſcientia oriatur. Tum, quod ad finem peſſimum dirigatur: additur enim in textu noſtro: *Et evenerit quod locutus eſt, & dixerit tibi; eamus & ſequamur Deos alienos, quos ignoras, & ſerviamus eis, non audies verba Prophetæ illius*. Eo autem ſpectabant

Iſa. c. 28.

omnia

omnia Gentilium oracula & vaticinia, ut in superstitione & cultu Dæmonum magis homines confirmarentur. Et cum vix ullum sit adeo certum Divinitatis signum, quam Prophetia (Isaïas enim cap. 41. ait: *Annuntiate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis vos*) hinc illam æmulari Dæmones nullo non tempore per augures, ariolos & pythones laborarunt, *ut hominibus noceant, quos nituntur a cultu & notitia vera Majestatis avertere, ne immortalitatem possint adipisci, quam ipsi sua nequitia perdiderunt*, ait Lactantius, subjungens: *Quoties alicui populo vel urbi secundum Dei statutum boni quid impendet, illi se id facturos, vel prodigiis, vel somniis, vel oraculis pollicentur; si sibi templa, si honores, si sacrificia tribuantur.* Quæ tamen illorum promissa subdola plerumque sunt, tecta & ambigua: *Nam sive illud periculum, quod imminet, vitari potest, videri volunt id placati avertisse; sive non potest, id agunt, ut propter contemptum accidisse videatur.* Et hinc non parum crevit vaticinationum Ethnicarum, & oraculorum æstimatio: quod qui visi sunt illa consulere & venerari, felicitatem subinde sint consecuti: qui vero neglexerunt & aspernati sunt, infelicem successum in se & negotiis suis non raro sint experti. Sic fertur Claudius Appii cæci filius,

Lib. 2. *de Orig. error. cap.* 17.

cum navalem expeditionem contra auguria parasset, magno Reipublicæ damno cladem accepisse. Item Crassus contra Parthos bellum gerens inauspicatum, cum filio suo captus, & a Spurina Regis præfecto occisus toto cum exercitu periisse. Habuit quoque infelicem expeditionis suæ successum P. Claudius Consul, cum pullos malum ominantes submergi jussisset. Quintus Flaminius, quod neglectis Sacris inauspicato ad exercitum profectus esset, cum Hannibale ad Trasimenum lacum Perusinum conflicturus 15. Romanorum millia perdidit, 20. millia fugata, & sex millia capta.

Valerius Max. lib. 1. de prodig. & Cicero l. 1. de divin.

Ejusmodi mala cum Gentiles adverterent iis evenire, qui Augurum vaticinia contempsissent, non parum in superstitione sua stabiliti sunt, ut illa quasi divina respicerent & observarent oracula, ne per eorum neglectum & contemptum Deorum iram & vindictam incurrerent. Præsertim cum persuaderent hominibus, tot calamitates, quæ ex alia facile causa oriri poterant, vel ideo solum contigisse, quod auguria sua contemnerentur. Et hæc erat impostura maligni spiritus nequissima, qua subinde etiam usus est contra Christianos, persuadendo pariter Ethnicis, quidquid malorum paterentur, ex Christi fide, quæ contemptum Deorum inveheret,

pro-

provenire. Hanc calumniam fuse refutatam vide apud Arnobium lib. 1. adv. Gentes.

Negandum interim non videtur, veras apud Gentiles prophetias fuisse Sibyllarum imprimis: tantum enim abest, ut sint in Religionis nostræ præjudicium, ut sint potius in stabilimentum illius maximum. Imprimis enim vita earum fertur fuisse laudabilis, nec iis sceleribus, impudicitiis scilicet, quibus idola Gentium coli solebant, contaminata. S. Hieronymus de iis ait: *Quarum insigne virginitas, & virginitatis præmium divinatio*. Dein doctrina eorum ad fugam mali & amorem boni, & cultum unius veri Dei dirigebat. Lactantius postquam lib. 1. de falsa relig. cap. 5. omnes Sibyllas enumerasset, de iis ait: *Omnes hæ Sibyllæ unum Deum prædicant*. Nec obscura aut dubia, sed tam manifesta de rebus post aliquot annorum millia futuris, de resurrectione v. g. de judicio, & imprimis de Christo in libris suis ediderunt vaticinia, ut vix ullum de Christo clarius in omnibus veteris Testamenti Prophetis possit inveniri. Non igitur vetat Deus omnibus Gentilium prophetiis credi, sed iis, quæ ab idololatris ritu superstitioso eliciuntur, & ad cultum Deorum promovendum evulgantur.

DEU-

DEUTERONOMII

CAP. XVIII. V. 10. & 11.

Nec invenietur in te qui lustret filium suum, aut filiam ducens per ignem &c.

DE hac lustratione agetur lib. 4. Regum cap. 16. *Aut qui ariolos sciscitetur*. Ariolatio latissime sumpta omnem complectitur divinationem. Stricte sumpta sic ab Isidoro describitur: Arioli vocati propterea, quod circa aras idolorum nefarias preces emittant, & funesta sacrificia offerant, iisque celebritatibus Dæmonum responsa accipiant, ex vivæ adhuc victimæ observatione, ut notat Simon Majolus; dum produceretur, sisteretur ad aram, attrectaretur, & vinum ei affunderetur. Hinc legimus Numerorum cap. 23. Baalam ariolum, ut eum Scriptura nominat, jussisse Balac Regi, septem aras ædificari, & adferri victimas, ut rite suo ariolandi officio fungi posset. Et ad quemcunque alium locum a Rege Balac duceretur, septem aræ prius cum victimis debebant præparari, quasi nulla sine aris & victimis fieri posset ariolatio. Hæc interdum fiebat e conspectu ignis victimarii, utrum

utrum in unam coiret pyramidem, quod prosperum; an vero divideretur, quod adversum portendebat. Quis ignis calor, color, splendor, ascensus, strepitus &c. an cito victimam comprehenderet, vel extingueretur. Subinde fumus sacrificii observabatur, teste Papin. lib. 10. Thebaid. ubi postquam pyromantiam Tiresiæ descripserat, addit eum ore fumum fatidicum hausisse.

Ille coronatos jam dudum amplectitur ignes,
Fatidicum sorbens vultu flagrante vaporem.

Ejusmodi Capnomantia Judæos usos fuisse, & considerasse, an fumus, qui ex victimarum sacrificio ascendebat, rectus ascenderet, an in obliquum vergeret, docet Theophylactus in Oseæ cap. 4. *Qui observet somnia atque auguria.* De his actum Levitici cap. 19.

Nec sit maleficus: Id est, qui proximo damnum causet ope Dæmonis, ad hoc promptissimi, ut homini noceat: nam, ut Synesius loquitur, calamitates mortalium convivia sunt malorum Dæmonum: nocent autem hominum ministerio variis modis: pulveribus v. g. herbis, festucis, unguentis albis, halitu, afflatu, & verbis, ut Virgilius ait: *Miscueratque herbas, & non innoxia verba.* Item Seneca de Medea:

dea: *Addit venenis verba non istis minus.*
Item Philtris, de quibus Ovidius:

Nec data profuerint pallentia philtra puellis:
Philtra nocent animis, vimque furoris habent.

Mirum alicui videri posset, quod Deus permittat tam horrenda subinde fieri, & inferri maleficia, etiam innocentibus & pueris, ut constat experientia, quam Ovidius confirmat ita de maleficis cantans:

Nocte volant, puerosque petunt nutricis egentes,
Et vitiant cunis corpora rapta suis.

Sed certum est hæc omnia justis de causis a divina permitti providentia; quas qui scire volet, legat Delrio lib. 3. disquisitionum Magic. part. 1. quæst. 7. ubi duodecim causas justæ permissionis enumerat.

[f] *Nec incantator*. Septuaginta vertunt, nec incantans incantationem. Talis dicitur, qui susurris quibusdam & mussitationibus mira quædam efficit. Sic Nemesianus Bucolicorum scriptor Eclog. 4. de quodam ait:

Cantavit, quo Luna tremit, quo rumpitur anguis,
Quo currunt scopuli, migrant sata, vellitur arbor.

Miranda prorsus ad speciem fecisse legitur Simon Magus Dosithei discipulus, quæ

ita

ita breviter Glycas part. 2. enumerat: *Effecit, ut statua ambularent, idemque in ignem prosiliens; non tamen urebatur.* In aera subvolabat, ex lapidibus panes faciebat, alias atque alias in formas migrabat, facies aliquando binas habebat; januas clausas sponte sua faciebat aperiri, vasa domestica ad usus hominum ultro moveri, umbras multas semetipsum præcedere, quas mortuorum animas esse dicebat &c. Non minus stupenda narrantur de Apollonio Thyanæo, qui ideo pro divino Propheta ab omnibus Principibus & populis est habitus; Diabolo hanc in animis hominum opinionem inserente & confirmante, ut Christi authoritatem diminueret. Quid dicam de magicis operibus Manethonis? qui tantus fuit ejusmodi imposturarum artifex, ut semper palam irriserit Apollonium, quasi non perfecta ejus doctrinæ peritia instructum: oportebat enim (ut ajebat) eum, sicuti ego soleo, solis verbis perficere quæ vellet, non operum effectionibus ad ea uti.

Cedrenus in historiarum Compend.

Tales execrandas incantationes nunquam fieri sine damno rerum spiritualium, certum est, uti & non raro cum ingenti corporalium, per simulacra, imagunculas, characteres, corpora ritu solenni effecta, plantas, animalia, herbas, metalla &c. magicis carminibus ad maleficium destinata. Sic Ovidius canit:

Carmine læsa Ceres sterilem vanescit in herbam,
Deficiunt læsi carmine fontis aquæ.
Ilicibus glandes, cantataque vitibus uva
Decidit, & nullo poma movente fluunt.

Quod dolendum summopere, in nefariis his negotiis, est, quod sacrosancto Dei nomine, aliisque rebus sacris abutantur tales venefici ad præstigias Diaboli contegendas, ut ab iis simpliciores omnem vim proficisci ac pendere arbitrentur. Illud vero quam execrandum sit, videre est apud Simonem Majolum colloquio 3. de sagis.

Nec qui Pythones consulat. Septuaginta vertunt, ventiloquos. De his agetur lib. 1. Reg. cap. 28. vers. 7.

Nec divinos. De illis dictum alibi.

Aut qui quærat à mortuis veritatem. Hæc veritatis inquisitio non videtur a Gentilibus facta sine Necromantia, quam certis locis, quæ putabantur esse inferni ostia, ut in occiduo Galliæ litore apud Tarentum, Avernum, Cimmerios, & Heracleam certis ritibus exercebant, quibus se putabant manes elicere, ut futura aut plane incognita perciperent. Modus ille evocandi accurate a Seneca describitur in Oedipo actu. 3. per versus viginti & unum, in quibus ritus & ceremoniæ ad 25. circiter enumerantur, quibus usus est Necro-

man-

manticus, ut rerum occultarum cognitionem a mortuis posset percipere. Diabolicum ejusmodi commercium omnino Judæis omnibus Deus prohibuit; cum veritas ad salutem necessaria per Scripturam & missos a Deo Prophetas sufficienter nobis innotescat. Alia e contra veritatis inquisitio de arcanis & futuris rebus inutilis & prorsus nociva est, præsertim ea, quæ per mortuorum animalium fibras & defunctorum animas expectatur. Quantus error! magis credere mortuorum nutibus, quam sapientiæ plenis vivorum discursibus? & in pecudum mortuarum visceribus quærere, unde utiliter vivi homines mortis casus possint evitare? Stultum hunc errorem miratur S. Chrysologus serm. 5. dicens: *Occidebatur pecus, ut quod vivum nihil scierat, divinaret occisum, & loqueretur ex fibris mortuum, quod nunquam fuerat ore prolatum.* Saul expertus est, quam sit damnosa inquisitio veritatis ex mortuis. Sperabat aliquod vitæ solatium a Samuele ab inferis excitato percipere; sed quid audiit? *Cras tu & filii tui mecum eritis.* Justa retributio, ut qui neglecto vitæ fonte, mortuos interrogat, responsum mortis accipiat.

Lib. Reg. 1. *cap.* 28.

DEUTERONOMII

CAP. XXIII. V. 17. 18.

Non erit meretrix de filiabus Israel, non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui.

APud Septuaginta additum legitur, non erit τελεσφόρος de filiabus Israel, quod S. Hieronymus explicat: *Non erit vectigal pendens*, Epist. 146. Quod appositum videtur 70. interpretibus ad textum melius explicandum: τελεσφόρος enim idem est, quod meretrix, quæ se Veneri & Priapo consecrans vectigal eis solvit ex impudicitia. τέλος enim idem quod tributum. Inde telonium. Ita S. Cyrillus lib. 15. de adorat. Sic refert Suetonius cap. 40. & Dio lib. 59. tributum aliquod a meretricibus exegisse Caligulam.

Τελεῖν etiam significat initiare: inde forsan proverbium: *A tela ordiri*. Hinc Theodoretus τελεσφόρον explicat initiantem: nam mulieres Gentilium, quæ idolis consecratæ erant ad quæstum meretricium in honorem Idolorum, dum viros admitterent, censebantur eos quodammodo Veneri vel alteri Idolo initiare. Vetuit

tuit autem hoc textu Deus, ne initiatio ejusmodi apud populum suum introduceretur vel permitteretur. Invaluerat enim mos ille execrabilis apud Gentes, ut pecunię ex quæstu meretricio collectæ idolis offerrentur. Apud Rhodiginum lib. 8. cap. 11. legitur Babylonicis mulieribus morem fuisse ex oraculo quodam, cum hospitibus suum habendi negotium, turba & cultu plurimo apud Aphrodisium commeantibus, Thominge singulis coronatis; qui vero admittebatur, posito super genibus argento quantum videretur, mulierem mox longe a fano abductam conveniebat, idque argentum Veneri sacrum erat. Strabo lib. 12. ait de meretricibus, quæ sacræ habebantur, Comanis urbe Pontica: *Magna ibi mulierum multitudo, quæ corpore quæstum faciunt, quarum complures sacræ sunt.* Et paulo post de meretricibus Corinthiacis: *Corinthi erat mulierum multitudo, quæ Veneri erant sacræ*, quas lib. 8. sacras ministras nominat, & earum supra mille asserit fuisse.

De Phœnissis mulieribus refert Athanasius in orat. contra Idola: *Quod ante ea prostituerentur, dedicantes Numinibus quæstum suum: persuasa meretricatu eadem propitiari*. Idem factitasse ait virgines Babylonicas, Syras, Medas, Persicas, Lydias, aliasque. Herodotus in specie de

Babyloniis ait lib. 1. *Omnibus mulieribus indigenis commune est semel in vita ad Veneris templum desidentibus cum externis viris consuetudinem habere.* Et paulo post ait: *Cum semel illic consederint, domum non regrediuntur, nisi prius ab hospitum aliquo pecuniam acceperint, & cum eodem rem habuerint. Hospitem autem illum, qui pecuniam obtulit, dicere oportet: tanti ego tibi Deam Mylittam imploro.* (Mylittam enim Assyrii Venerem appellant) *At vero pecuniam illam, quantulacunque sit, non est fas rejicere; siquidem in sacrum convertitur usum; neque mulieri etiam permittitur hospitem aliquem repudiare, sed quiscunque is est, qui pecuniam objecerit primum, hunc illa sequitur extra delectum.* Herodotus. Quod si quædam fuisset prætérita, sannis & opprobriis excipiebatur, ut testatur Propheta Baruch cap. 6. vers. 43.

Causam tam nefandi cultus Veneris assignat Lactantius lib. 1. de falsa relig. cap. 17. *Quid loquor obscœnitatem Veneris omnium libidinum prostitutæ, non Deorum tantum, sed & hominum? quæ prima,* (ut in Historia sacra continetur) *artem meretriciam instituit, Autorque mulieribus in Cypro fuit, ut vulgo corpore quæstum facerent; quod idcirco imperavit, ne sola præter alias mulieres impudica & virorum*

appetens videretur. Etiamne habet hæc aliquid Numinis? cujus plura enumerantur adulteria, quam partus. Authorem tam execrandi cultus ait Clemens Alexandrinus in adhortatoria ad Gentes fuisse Cynaram. Verba ejus sunt: *Nec non & Cypriæ Veneris abstrusa illa initia prætereamus, quorum conditor indicatur Cynaras Rex fuisse; offerebant autem ii, qui initiabantur, nummum Veneri ut amicæ amatores.*

Quis non abominetur religiones tam sacrilegas? quis non horreat tale pretium Deo offerre? & tamen talibus donis delectabantur Dii, Deæque Gentium, & statuas suas ex iis fieri ornarique gaudebant. Severus Imperator tributum ex quæstu meretricio collectum vetuit inferri ærario suo; eo quod nimis indecorum illud fore censeret. Quanto magis censendum est Deum horruisse ejusmodi pretium offerri in Ecclesia sua, & vetuisse Judæis omnibus, ne Phœnices vicinos, & Gentes alias non adeo remotas, in sacrilega initiatione & mercedis ejusmodi turpissima oblatione imitarentur? Ex his bene infert Hebræorum Plato Philo Judæus: *Si turpiter acquisitos* nummos, qui per se carent crimine, ita Deus repudiaverit, uti & victimam, quæ defectum aliquem habeat; quanto magis a suo arceri vult sacrario Sacerdotes vi-

Lib. 2. de Monarch.

tio libidinis infectos & corruptos? oportet ſane ſacrificaturum diſpicere, ut mens ejus integra ſit magis etiam, quam victima.

Nec pretium Canis. Auguſtinus, & alii cenſent hic loqui Deum de primogenito canis, qui, niſi facta hic fuiſſet exceptio, redimendus fuiſſet, & pretium Deo offerri debuiſſet. Sed videtur melius hic locus explicari de pretio impudentioris cujuſdam libidinis, ad quam homines in propatulo expectarentur vel invitarentur; qualis ad fanum Veneris, ut ex Herodoto dictum eſt, fiebat: ſolet enim manifeſta ejuſmodi libido canina vocari; hinc Philoſophi qui talem exercebant, dicti ſunt Cynici, quorum ſectam impudentiæ principem jure dixit Origenes Cynomyia notari. Quid enim poteſt aut eſſe impudentius, aut dici, quam publice in foro hominem cum muliere congredi, quemadmodum Diogenem feciſſe legimus? Dum igitur vetatur a Deo, ne offeratur merces meretricis, videtur id intelligendum de occultis meretricibus; ne vero offeratur pretium canis, de ſcortis publicis, quales erant meretrices in ſacris Gentilium proſtantes.

Quid de eorum ſacris boni ſentiendum eſt, ait S. Auguſtinus, *quæ tenebris operiuntur, cum tam ſint deteſtabilia, quæ proferuntur in lucem?* Vel hinc patet, quam vera Chriſti Eccleſia ſit munda, non habens

bens maculam neque rugam, aut aliud hujusmodi, quam sit sancta & immaculata. Nam ut S. Bernardus ait: *Ex contrariis contraria aut placent amplius, aut displicent. Junge nigra candidis, & mutua collatione in proprio quaque colore distinctius enitescent.* Hinc sicut Apostolus loquitur ad Rom. 3. *Veritas Dei in meo mendacio abundat in gloriam ipsius;* Ita splendor illibatæ castitatis Ecclesiæ in immunditiis Gentium & hæreticorum abundat in gloriam ipsius.

DEUTERONOMII

CAP. XVII.

Cum reperti fuerint, qui serviant Diis alienis, & adorent eos, Solem & Lunam, & omnem militiam cæli, educes virum ac mulierem, & lapidibus obruentur. Vers. 3.

EX Astrologiæ sinu profluxisse superstitionum omnium vanitates, locupletissimus author Varro testatur. Hinc vix ullæ fuerunt Gentes, quæ non stellas, quas exercitum aut militiam cæli Scriptura subinde nominat, pro Diis ac Deabus habuerint & coluerint. Maxime tamen præ stel-

stellis reliquis Sol & Luna divinis honoribus fuerunt affecta a cunctis fere Ethnicis; Ægyptiis præsertim, Chaldæis, Phœnicibus, Græcisque, ut testantur Plato, Diodorus Siculus, Plutarchus, aliique. De Lybiæ populis ait Herodotus in Melpomene, quod de Diis reliquis minime soliciti Soli tantum & Lunæ sacrificarent.

Sol ideo sic dictus, quia solus siderum maximus, ut vult Cicero: hinc & Græce Apollo, id est non multus: a Persis & Massagetis pro Deorum maximo fuit habitus, quem in antro quodam, teste Lactantio, venerabantur: quia cum exortus est, obscuratis ceteris sideribus, solus apparet, & astrorum principatum obtinet, fons & author lucis, dominus diei, cor cæli, dux, princeps & moderator reliquorum luminum atque temporum. Hinc pulchre sic illum Ovidius quasi in solio sedentem cum satellitio suo describit 2. Metamorphos.

---- *Purpurea velatus veste sedebat*
In solio Phœbus claris lucente smaragdis;
A dextra lævaque dies, & mensis, & annus,
Sæculaque, & positæ spatiis æqualibus horæ.
Verque novum stabat cinctum florente corona,
Stabat nuda æstas, & spicea serta gerebat,

Sta-

Stabat & autumnus calcatis sordidus uvis,
Et glacialis hyems canos hirsuta capillos.

Fuit autem idem Sol cultus sub diversis nominibus, v. g. Phaetontis, Serapidis, Mythræ, Phæbi, Apollinis, Panis, Titanis, aliisque plurimis, ut fuse demonstrat Macrobius. Hinc Statius lib. 1. Thebaid. ita Solem alloquitur:

---- *Seu te roseum Titana vocari*
Gentis Achæmeniæ ritu, seu præstet Osirin
Frugiferum, seu Persei sub rupibus antri
Indignata sequi torquentem cornua Mythram.

Ægyptii Horum vocarunt Solem; quod derivatum videtur ab Hebræa voce Or, quæ lumen significat, quod Sol fons sit omnis luminis. Inde etiam juxta Macrobium horæ dictæ sunt, in quas totus dies est distributus. Osiris Ægyptiorum idem fuit, qui Horus, & a Græco σόρειν videtur nasci, quod æstuare significat; figura accipitris exprimi solebat: hæc enim avis cum citissime volet, & de nocte etiam clare videat, apta erat imago Solis. Ob eandem rationem Heliopolitani Solem sub specie felis colebant, Lycopolitani sub forma lupi, eo quod hoc animal instar Solis omnia raperet, consumeret, & acutissima acie præditum de nocte etiam videret.

Hinc

Hinc lupus græce λύκ☉ ἀπὸ τῆς λύκης, id est a luce, videtur dictus. Etiam Beli nomine cultus fuit Sol, non sine ratione, ut notat Servius: El enim Assyriorum lingua Solem significat, & hinc adjecta aspirationis nota Sol græce ἥλι☉ dicitur. Alii tamen Phænicum lingua non Assyriorum Hel Solem dici putant; inde forsan Germanicum illud Hell, id est, clarum & serenum.

Lib. contra Symmach. Quam longe vero & turpiter errarint Gentiles Solem pro Deo agnoscendo & colendo, pulchre ostendit Aurelius Prudentius, simul rationes in ligatum stylum colligens, quibus convincere conatur Solem Deum esse non posse, quod v. g. variis mutationibus esset obnoxius, certo spatio, & certis legibus adstrictus, minor cælo: *Area major enim, quam qui percurrit in illa* &c. Idem probat Lactantius lib. 2. de orig. err. cap. 5. & quanquam dicat Cicero lib. 2. de natura Deorum, quod qui Solem, Lunam, cæterasque stellas observat, *non indocte solum, verum etiam impie faciat, si Deos esse neget. Nos vero*, subjungit Lactantius, *& quidem constanter negamus, ac vos o Philosophi non solum indoctos & impios, verum etiam cæcos, ineptos delirosque probamus*. Quanto prudentius Naso, quam illi, dum sentit illa cæli lumina a Deo in servitium hominis

nis creata & instituta, ut horrorem tenebrarum depellerent?

Tot numero, talique Deus simulacra figura
Imposuit cælo, perque atras sparsa tenebras
Clara pruinosa jussit dare lumina nocti.

Secundum dignitatis gradum inter stellas Luna obtinet, quasi una, a lucendo sic dicta; cum noctu inter ignes sola minores clarius luceat. In sacris literis noctis Domina appellatur, *ut praeesset nocti*. Illi & Soli primus ædes Romæ consecravit T. Tatius Sabinornm R. Sub Nocticulæ nomine culta fuit Luna in colle Palatino. Græci quoque solenni religione fana Soli & Lunæ erexerunt. Qualis victima Soli & Lunæ ab Ethnicis sit oblata, Lactantius meminit lib. 1. de fals. relig. cap. 21. *Lunæ taurus mactabatur; quia similiter habet cornua;* &: *Lib. Genes. cap. 1. 16.*

Placat equo Persis radiis Hyperiona cinctum, *Ovid.*
Ne detur celeri victima tarda Deo.

Suem præterea Ægyptii Lunæ leguntur immolasse; quoties vero Eclipsin patiebatur, toties stulti credebant Ethnici, veneficiis eam deduci; quare tunc pulsare tympana, & æra, ut Ovid. ait, auxiliaria insonare, ne magas incantatrices perciperet. Hinc Tibullus lib. 1. eleg. 8.

Can-

Lib. 4. *Cantus & e curru Lunam deducere tentat;*
Et faceret, si non æra repulsa forent.
Pater de Valle in Itinerario suo refert adhuc suo tempore Persas morem illum observasse. Luna Hebræis masculini est generis, Sol fœminini, ut apud Germanos der Mond / die Sonn. Etiam Idolum Lunæ formabatur specie viri tunicati & caputio induti erectis cornibus. Sacrificium illi fiebat, ut scripsit Philochorus, a maribus veste muliebri, a mulieribus virili indutis. Varia nomina juxta facultatum & Gentium varietatem consecutà est. Isis fuit Ægyptiorum juxta Tacitum, Græcorum Romanorumque Ceres & Proserpina juxta Diodorum Siculum. Gallorum Dis juxta Cæsarem. Hanc unam Deam sub diversis nominibus aut plures tam re quam nomine, cum inferna haberentur Numina, & maxime nocturnis delectarentur cæremoniis, non Germani solum, sed etiam omnis populus Borealis, noctem præ die, Hyemem præ æstate, Lunam præ Sole, & in Luna velut in Pantheo, & totius cælestis virtutis receptaculo & administratrice omnes Deos cæteros venerati sunt.
Lib. contra Symmach. Aurelius Prudentius sic Lunam describit variis nominibus insignitam:
--- *Cum Luna est, sublustri splendet amictu;*

Cum

Cum succincta jacit calamos, Latonia
Virgo est:
Cum subnixa sedet solio, Plutonia conjux,
Imperitat furiis, & dictat jura Megara.

Sed quid sub his tribus nominibus vere cultum sit, bene notavit idem Poeta ita subcinens:

Si verum quaris, Trivia sub nomine Damon
Tartareus colitur.

Quoad cæteras stellas, notum est imprimis ex sacris Literis, Deum exprobrasse Judæis aliquoties, quod mensam paraverint, id est sacrificarint numeris stellarum more Ethnicorum: sic enim Isaiæ cap. 65. interpretantur aliqui vocem *Gad*, quamvis alii Martem, aliqui Jovem, Mercurium alii intelligant. Sic apud Prophetam Amos cap. 5. iisdem exprobratur, quod sidera Deorum ad instar coluerint, ubi Saturnum aliqui interpretantur ab iis cultum fuisse. S. Hieronymus testatur ætate adhuc sua a Saracenis stellam Luciferum fuisse cultum. Cicero in lib. de natur. Deorum refert, quod Zeno Crotoniates, Alemæus, Parmenides &c. ex Platonis disciplina mundum mentem divinam esse putaverint, sideribus etiam & stellis errantibus divinitatem tribuerint. Quod si notionem illam consideres quam τὸ Deus significat, astris convenire comperies. Si-

ve

ve enim derives ἀπὸ τῦ θεᾶσθαι, a vi scilicet inspiciendi atque spectandi, a nulla re ita se inspici & spectari credebant Gentiles quam a stellis, Sole præsertim, de se ita apud Ovid. loquente:

Lib. 4. Metam.

Ille ego sum, qui longum metior annum,
Omnia qui video, per quem videt omnia mundus.

Sive dicas quod originem suam Deus trahat ἀπὸ τῦ θέειν, quod per omnia currat, ordinet & disponat, solis id stellis, & Soli præ aliis attribui debere censebant. Certe Plato in Cratylo affirmat, veteres astra sola pro Diis habuisse, quæ semper currunt. B. Greg. Nazianz. Orat. 4. de Theol. ad sempiternam refert agitationem τὸ θέειν, ex quo θεός. Et adjungit tertiam notionem ἀπὸ τῦ αἴθειν, ab urendo scilicet & inflammando; id vero quam Soli sit proprium, nemo ignorat.

Eusebius Cæsar.

Causa, quæ Gentiles induxit, ut in Deorum numerum stellas referrent, videtur prima fuisse earum pulchritudo & stabilis ordo. Hinc Cicero lib. 2. de nat. Deorum ait: *Hanc in stellis constantiam, hanc tantam, tam variis cursibus in omni æternitate convenientiam temporum, non possumus intelligere sine mente, ratione, consilio; quæ cum syderibus inesse videamus, non possumus ea ipsa non in Deorum numero*

mero reponere. Altera causa videtur fuisse stellarum utilitas ob influxum earum in inferiora, vegetando eadem, vivificando, nutriendo & conservando. Lib. 1. de nat. Deor. refert Cicero, quod Perseus Zenonis auditor eos dixerit habitos esse Deos, a quibus magna utilitas ad vitæ cultum esset inventa, ipsasque res utiles & salutares Deorum esse vocabulo nuncupatas. Cum igitur tanta ex stellis in hunc mundum dimanent beneficia, *& quoniam* (loco citato pergit Cicero) *non audes negare esse Deos, quid est quod te impediat aut Solem, aut Lunam, aut Mundum, aut mentem aliquam sempiternam in Deorum natura ponere? Ipsi qui irridentur Ægyptii, nullam belluam, nisi ob aliquam utilitatem, quam ex ea caperent, consecrarunt*. Mirum proinde non est, Solem, Lunam & cæteros Planetas divino cultu Gentiles fuisse prosecutos; cum ipsum hominem opus Planetarum esse censerent, eumque, dum concipitur & generatur, a Sole spiritum suum accipere, a Luna corpus, a Marte sanguinem, a Mercurio ingenium, a Jove desiderium, a Venere cupiditatem, a Saturno humorem; verbo, omnem ipsius felicitatem a sideribus dependere. Feliciores longe Christiani, ab ipsomet Christo instructi, quis bonorum omnium Author sit, & quomodo colendus: *Dominum Deum*

tuum adorabis, & illi soli servies. Qui fecit luminaria magna, Solem in potestatem diei, Lunam & stellas in potestatem noctis. Psalmo 135.

JOSUE

CAP. VIII. V. 33.

Percusseruntque cum Baal fœdus, ut esset eis in Deum.

PEr Baal antonomastice intelligitur Deus Gentilium: nunquam enim in Scriptura de Deo vero dicitur. A Belo, qui primus Gentium Deus fuit, suam videtur originem trahere, idemque significat quod Dominus. Tam Diis quam Deabus nomen Baal convenire ait Theodoret. in cap. 32. Jerem. & 70. Interpretes, qui articulum generis fœminini subinde illi præponunt; quod ideo aliqui factum putant, quod εἰκὼν sive imago subintelligatur. Apud Diodorum Siculum lib. 12. legitur de Dea quadam, quæ Baalthis vel Belthis vocatur. Cum igitur nomen Baal commune sit, adjungitur subinde illi nomen, unde aliqua differentia desumatur, v. g. Beelphegor a loco, qui Phegor dicebatur. Baal Tyriorum, qui teste Herodoto lib.

1. &

1. & Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 20. fuit Hercules. Baalgad secundum S. Hieron. idem, quod Deus fortunæ. Beelsamin, Dominus cæli. Baalberith, de quo in præsenti capite fit mentio, & idem ipse est cum Baal in præsenti textu; Berith enim Hebraice fœdus significat, ideoque sic vocatus, quod cum Baal fœdus Gentes inierint spe fretæ, se adversus Abimelech protegendos, ideoque ad fanum illud, dum se subjugandos timerent, confugerant, simulque Abimelechum fani reverentia absterritum iri credebant. Sed aliter disposuit verus cæli terræque Dominus, voluitque, ut ibi perirent Idololatræ, ubi se sperabant solatium aliquod & auxilium esse habituros. Et quis opis aliquid sibi promittat a mutis fictisque simulacris? *Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis.* Longe felicius legitur Num. cap. 21. Israel fœdus quodammodo cum Deo percussisse, & voto se obligasse dicens: *Si tradideris populum istum* (Chananæum cum Rege Arad) *in manu mea, delebo urbes ejus; exaudivitque Dominus preces Israel, & tradidit Chananæum, quem ille interfecit, subversis urbibus ejus, & vocavit nomen loci illius Horma; id est Anathema.*

Ps. 134.

LIBER JUDICUM

CAP. XVII. V. 15.

Qui Ædiculam quoque in ea Deo ſeparavit.

HAbuiſſe Gentiles ſeparatas idolorum ædiculas notat Cyrillus in Iſai. cap. 22. Erant hæ ædes minuſculæ, incuſtoditæ, quas qui tentaverint, amplius quam fures, minus quam ſacrilegi mererentur.

Septuaginta Interpretes vocant illas δώματα μάταια, Judæi domos turpitudinis, Ethnici Lararia. Æmilius Probus in vita Timoleonis Corinthii ſic ait: *Nihil rerum humanarum ſine Deorum Numine agi putabat; itaque ſuæ domi Sacellum* αὐτοματίας *conſtituerat, idque ſanctiſſime colebat.* Plutarchus in Timol. *Domi autem ſuæ Sacellum fortuiti caſus condidit, eique ſacrificavit. Porro in Babylonis templo aliud etiam eſt Sacellum inferius, quod magnam habet Jovis Statuam eamque auream*, ait Herodotus lib. 1. cap. 183. Qui & alterius ſacelli in turri quadam Babylonis meminit lib. 1. cap. 181. Cicero quoque lib. 1. de divinat. Lampridius narrat de Alexandro Severo: ſi nullum de nocte habuiſſet cum

uxore

uxore negotium, matutinis horis in Larario suo (in quo & Divos Principes, & optimos electos, & animas sanctiores, hasque inter Christum, Abraham & Orpheum habebat) rem divinam faciebat. Non male Lararium ejusmodi in veteribus glossis vocatur sacrarium θυσιαστήριον, in eoque rem divinam Diis domesticis prope quotidie faciebant, quod penetrale beneficium dicebatur. Festus in verbo penetrale. Probabile est ante tempora Numæ Pompilii ædiculas tantum in Deorum honorem fuisse extructas. Negat enim tunc temporis Romæ fuisse Deorum templa, Tertullianus in Apolog. cap. 25. Affirmat Plinius lib. 34. cap. 7. & Livius lib. 1. Conciliat Lælius Bisciola lib. 17. v. 19. *Sacella fuisse ac delubra, quæ proprie non dicebantur templa: nondum enim erant Populi Romani adhuc infantis vires tantæ ac opes, ut superbas ac ingentes templorum fabricas possent excitare.* Id quod primis etiam contigit Christianis, quibus templa extruere tum paupertas Ecclesiæ, tum Gentilium persecutio non permittebat. *Tom.* 1.

Porro Principibus duo erant Lararia, majus & minus. Alexander Imperator, de quo paulo ante, Virgilii & Ciceronis imagines in secundo posuit, Alexandrum Magnum in majore tenebat. Præfectus Lararii Magister Larium vocabatur. Non

Principes ſolum, ſed & privati omnes domeſticos & familiares lares habuerunt, ubi Deos ſuos privatim colerent. De his Celſus Juris Conſultus: *Finge pauperem, qui ſi reddere id cogatur, laribus ſepulchriſque avitis carendum ſit.* Lares enim aviti a majoribus tradebantur. M. Tullius act. 9. in Verrem: *Erat apud Hejum Sacrarium magna cum dignitate in ædibus a majoribus traditum, perantiquum, in quo ſigna pulcherrima.* Tenuioribus loco ſacrarii erant foci, in quibus Lares ſuos colerent. His thure aut vino ſupplicabant, & coronas dabant, dum annus aut menſis inciperet. Ab his ſacrariis ædium privatarum ſanctitas manabat; quod illic aræ foci, Dii penates & ſacræ religionis ceremoniæ continerentur. Hæc Jacobus Gutherius de veteri jure Pontificio lib. 3. cap. 10.

LIB. REGUM I.

CAP. V.

Tulerunt Philiſthiim Arcam Dei, & intulerunt eam in templum, & ſtatuerunt juxta Dagon.

DAgon videtur fuiſſe præcipuus Philiſtæorum Deus. Volunt aliqui, ut

Ma-

Marinus in Arca Noe, & Montanus in Elencho suo, Dagon derivari a radice Dagan, id est frumentum; consequenter fuisse illum aratri & frumenti inventorem, sive Jovem Frumentarium vocatum esse. S. Hieronymus, & cum eo alii, ut Beda, Rabbanus, Hugo &c. censent Dagon provenire a radice Dagah, id est piscis, & conveniunt in eo plures interpretes, Dagonem superius formam hominis (cum versu 4. dicatur habuisse faciem, & palmas) inferius formam piscis exhibuisse. De simili monstro canit Horatius; *turpiter atrum desinit in piscem mulier formosa superne*. Hinc non improbabiliter docent aliqui Dagonem non differre a Dercete, quam Ascalonitæ venerati sunt teste Rhodigino lib. 23. cap. 5. & ut valde credibile, sub eadem forma. Fuit autem Dercete, ut Syri fabulantur, fœmina Ascalonitis, quæ ex stupro clanculario enixa Semiramidem, postea sic erubuit, ut præ nimio pudore in lacum Ascalonitem se dederit præcipitem, & in piscem mutata sit. Diodorus Siculus lib. 3. cap. 21. Manilius lib. 4. de hac re ita canit:

---- In piscem sese Cytheræa novavit,
Cum Babyloniacas submersa profugit in undas.

Et Ovidius lib. 4. Metamorph. de Venere (quæ probabilius fuit ipse Dagon)

 ---- *Dubia*

---- Dubia est, de te, Babylonia, narret
Derceti, quam versa squamis velantibus artus,
Stagna Palæstini credunt coluisse figura.

Hinc Palæstini teste Cicerone de nat. Deor. lib. 3. divinitatem tribuebant piscibus, uti & Nabuchodonosor Rex Babylonis, de quo dicitur Habacuc cap. 1. v. 16. *Immolabit sagenæ suæ, & sacrificabit reti suo*, id est, *piscibus*: continens enim pro contento ponitur. Præterea ab esu piscium abstinebant Syri, ut Ovidius testatur 2. Fastorum:

Inde nefas ducunt genus hoc imponere mensis,
Ne violent timidi piscibus ora Syri.

Ex his non male quis conjecerit, Dagonem, cum suam traxerit originem a Dercetis impuritate, simulacrum fuisse turpitudinis, quod figuram piscis retulerit. Ferunt enim Dii Aquei & Marini apud Veteres symbolum lasciviæ & libidinis, ut Pierius lib. 13. testatur. Sic vulgari fertur carmine: *Est Venus orta mari*. Quanquam Hyginus dicat num. 197. in Euphratem fluvium de cælo ovum cecidisse mira magnitudine, quod pisces ad ripam evolverint, super quod columbæ consederint, & ubi calefactum fuit, Venerem excluserint, quæ postea Dea Syria appellata est. Ab Jove autem optione data pisces in astrorum nume-

rum

rum relatos esse, & ob id Syros in Deorum numero pisces & columbas habere, nec edere. Ex quibus denuo potest colligi, Dagonem fuisse Deam illam Syriam. Sic Serarius in cap. 19. Jud. c. 23. ait Samsonem in Dagonis seu Veneris templo corruisse; & Herodotus lib. 1. circa medium ait: *Templum Veneris apud Ascalonitas in summa fuisse veneratione.*

Nec obstat, quod Dagon masculini generis esse dicatur: in Hebraico enim nulla est terminatio, quæ divinam naturam in fœminino genere significet. Et Latini subinde fœminini sexus personam Deum vocant. Sic lib. 2. Æneid. Virgilius Venerem Deum vocat. Et Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 8. observat Venerem etiam Deum vocari. Quid? quod nonnulli Deorum γύνανδροι, viri simul ac mulieres apud Ethnicos sint crediti. Arnobius lib. 3. adv. Gentes insinuat Gentiles ipsos nescivisse subinde, Deum an Deam venerarentur; sic enim ait: *Nam consuestis in precibus, sive tu Deus es, sive tu Dea, dicere.* Ex dictis advertes, si sensum spectes historicum, Semiramidem probabilius occasionem dedisse fabulæ; si veritatem rerum naturalium, Lunam fuisse, ut observat Kircherus noster in Oedipo Ægyptiaco, eamque ob dominium in humida, Dagonis aut Dercetus nomine fuisse insignitam.

Obser-

Observandum porro est, *primo* nihil fuisse absurdius & monstrosius, quam quod Gentes sub forma tam vili & abjecta piscis v. g. aut alterius bestiæ Deos suos coluerint. *Si vivi*, ait Seneca, *illa fuissent forma prædita*, *quam eorum simulacra præferebant*, *non ut Numina colerentur*, *sed ut monstra ab omnibus fugerentur*. *Secundo*, quam inique Philistæi egerint, Arcam Dei captam juxta Idolum tam abominabile ponendo. *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut consensus templo Dei cum Idolis?* 2. Corinth. cap. 6. Magis vero aggravarunt peccatum suum, *quod captam Dei arcam tanquam exuvias & opimum quoddam spolium suo Idolo donarii loco consecrarunt*, ut S. Chrysostom. ait tom. 5. lib. uno contra Gentiles. Quod ipsum Josephus confirmat lib. 6. antiquit. cap. 1. *Arcam juxta Deum suum Dagon tanquam Trophæum aliquod posuerunt*. Mirum proinde non est idolum istud ante arcam Domini humi prostratum prima vice, & secunda capite & palmis truncatum super limen inventum esse; ut appareret omnibus Dei illius vilitas & infirmitas. *Tertio*, quanta sit hominum indigne communicantium, & imprimis Sacerdotum in statu mortalis peccati sacrificantium malitia; si enim sacrilegum Adriani imperium fuit erigentis Adonidem in Antro Bethleemitico, ut (quemad-

mo-

modum S. Hieronymus loquitur ad Paulinum) in specu, ubi Christus parvulus vagiit, Veneris Amasius plangeretur; horrendum pariter est facinus, coinquinatum carne & immundum spiritu ad Eucharistiam vel Sacrificium accedere. Nam ut Petrus Blesensis serm. 38. ait: *Quicunque ad Altare Dei accedit inquinatus luxuria, juxta Filium Virginis Idolum ponit Veneris.* *Quarto*, in sensu Allegorico juxta S. Gregorium Arcam Dei Templo Dagon inferri, idem esse ac mysteria fidei cordibus infidelium intimari; per ruinam vero Dagonis secundum Bedam & Angelomum Idololatriæ & infidelitatis interitum per Arcæ Dominicæ seu Christi adventum ad Gentes præfigurari.

LIB. REGUM I.

CAP. V. V. 5.

Propter hanc causam non calcant Sacerdotes Dagon, & omnes qui ingrediuntur Templum ejus, super limen Dagon in Azoto.

POterant insani illi sacrificuli ex casu Dei sui satis intelligere, monstrum illud potius esse calcandum pedibus, quam reli-

religiose colendum. Sed quam non excœcat mentes hominum inveterata superstitio? Medium, quo Dei sui ignominiam obscurare quærebant & obterere, vel etiam quodam honoris obsequio compensare, magis ad ejusdem dedecus & jugem infamiam serviebat. Quid enim responderent Sacerdotes posteris, quod limen transilirent, nisi rationem se habuisse religiosam & piam Dei sui, cujus membra ignominiose dissipata aditum illum templi constravissent? hinc ceremonia illa non in Dagonis cultum, sed potius in veri Dei gloriam cedebat. Idem de ceteris Deorum cultibus dici potest, qui magis in Deorum ignominiam vergebant quam honorem & gloriam. Et hoc est quod Arnobius Ethnicis objicit lib. 5. ita dicens: *Quid tantum quæso de vobis Jupiter iste (quicunque est) meruit? quod genus est nullum probri, infame adulterium nullum, quod non in ejus caput velut in aliquam congeratis vilem luteamque personam? ubique est Jupiter fabula, neque ullum turpitudinis genus est, in quo ejus non nomen consociatis libidinibus consecratis: ita non advertitis, non videtis, quanta istud dicatur & cum ignominia fieri, contumeliaque Divorum?* Et lib. 4. *Soli sunt apud vos Superi inhonorati, contemptibiles, viles, in quos jus est a vobis datum quæ quisque voluerit, dicere, turpitudinem jace-*

re,

re, quas libido confinxerit, atque excogitaverit formas; cum sit rectius multo, Deos esse non credere, quam esse illos tales, taliqûe existimatione sentire. Ita satius fecissent Philistæi, si Dagonem non agnovissent Deum suum, quam sic comminutum ac humiliatum divino adhuc honore & cultu tam ridiculo prosecuti fuissent.

Ut autem post casum Dagonis Azotii non calcarunt amplius Deorum suorum limina, sed transilierunt, & ut Dio: lib. 41. testatur, osculati sunt; ita videtur mos ille ad alias Gentes manasse, quamvis ex alia intentione ac persuasione, ut fieri assolet in ritibus inveteratis. Lyranus in lib. 3. Exod. affirmat Gentiles prima Deorum limina non nisi nudis pedibus attigisse. Rationem ex Justino juvat percipere; *nam & calceis exutos introire sacrorum causa jubent sacrifici, dum iidem genu æmulantur quiddam, quod Mosi prophetæ accidisse sciunt*; legerint enim forsitan ex libro Exodi, vel audierint Deum Moysi dixisse: *solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est*, cap. 3. v. 5. Sic putabant Gentiles Templorum Vestibulis Numen aliquod inesse vel adesse. Imo Dii quidam inde nomen suum sortiti sunt, ut essent custodes ædium. Liminibus præfectus erat Deus Limentinus, Portis Portulus sive Forculus, Cardinibus Cardea vel Car-

Apologia 2. pro Christianis.

dinea

dinea sive Carna Dea, quæ, ut Ovidius ait lib. 6. Fastorum, prius Iran nuncupata clausa aperiret, aperta clauderet. Mirum proinde non est Virgilium Æneid. 2. appellasse *religiosa Deorum limina*: & Juvenalem saty. 6. *Tarpejum limen adora*. Et Tibull. lib. 1. Eleg. 2.

Non ego si merui, dubitem procumbere templis,
Et dare sacratis oscula liminibus.

Quem in morem Prudentius in Romano ita canit. *Sed credo magni limen amplectar Jovis, qui sic citetur legibus vestris*. Ovidius præterea lib. 1. Metamor.

Ut templi tetigit limen, procumbit uterque
Pronus humi; gelidoque pavens dedit oscula saxo.

Arnobius lib. 1. adv. Gentes: *Cum Deorum ante ora prostrati limina ipsa converrerent osculis*. Eadem videtur fuisse causa, quod nova apud Gentiles nupta non auderet limen mariti tangere, ne, ut Servius notat, a sacrilegio inchoaret, si depositura virginitatem calcaret rem Vestæ, id est Numini sanctissimo consecratam.

S. Gregorius Magnus in sensu tropologico ait eos Dei ministros, qui post prava sua abeunt desideria, similes esse sacerdotibus Dagon, nec cum iis super limen calcare. Cujus ulteriorem explicationem apud eundem vide in Expositione l. 1. Reg. c. 5. v. 5.

Cete-

Ceterum meliori jure Christiani non solum templorum suorum adyta, sed etiam limina venerantur. Quam nota sunt & fuerunt a primis Ecclesiæ sæculis limina Beatorum Apostolorum Petri & Pauli? quæ cum veneratione non communis tantum populi, sed etiam Regum ac Principum fuere visitata? S. Chrysostom. homil. 26. in poster. Epist. ad Corinth. refert, quali in æstimatione & reverentia fuerint vestibula & limina Apostolorum etiam apud Reges eadem invisentes: sic enim ait: *Quod in regiis janitores sunt Regibus, id in sepulchro Reges sunt Piscatoribus; & illi quidem velut ipsius loci domini, intus habitant, hi vero tanquam accolæ & vicini præclare secum agi putant, si janua ipsis assignetur vestibularis*. Idem homil. 30. in 2. ad Corinth. *Templi vestibula & adytum osculamur*. Prudentius in peristeph. hymno 2. *ipsa & Senatus lumina, quondam Luperci & Flamines, Apostolorum ac Martyrum exosculantur limina*. Plura eorum exempla, qui piis votis, muneribus, osculisque eadem venerati sint, vide apud Baronium ad annum Christi 631. & 689.

Lib.

LIBER REGUM I.

CAP. XXVIII. V. 7.

Quarite mihi mulierem habentem Pythonem, & vadam ad eam, & sciscitabor per illam.

MIrum videri potest, a Saule, qui v. 3. ejusdem Capit. legitur abstulisse magos & ariolos de terra, hoc versu 7. quæri mulierem Pythonissam. Justinus Martyr Quæst. 52. ad Orthodoxos ait, quod Pythonissas sustulerit, *ut ea ratione Deum sibi reconciliaret, quo sententiam abrogaret, quæ Saulem regno abdicaverat*, non ariolorum & magorum odio, sed imperii retinendi desiderio. Hinc pronum est judicare, ipsum, cum a Deo nullum de futuro belli eventu responsum posset accipere, ambitionis & desperationis spiritu commotum, Pythonissam adiisse quæsitum quid se futurum esset. Derivatur Pythonissa ἀπὸ τȣ̃ πυνθάνεσθαι a sciscitando. Erant vero duo Pythonum genera, quorum corpora Pythus vel Dæmon obsidebat, & implebat, & per eos sic affectos sua edebat oracula.

Alii Engastrimythi græce appellantur, & in canonicis decretis causa 26. q. 3. ventri-

triloqui; quales erant vates Colophonii & Triphonii & Seraſtini, de quibus Pauſanias in Achaja, & Strabo Geograph. l. 5. Philochorus in l. 3. de vaticiniis, etiam mulieres vocat ἐγγαστριμύθους, eo quod ex imo ventre vox prodire videbatur, ut explicat Origenes aliique. Nonnulli στερνομάντεις dicuntur, eo quod aliquando ſub pectore infra cutem ſe Dæmon oſtendat, & per pectus loqui videatur. Quomodo vero ejuſmodi Ventriloquium fiat, Apollo apud Euſebium de demonſtrat. L. 3. deſcribit: eſſe fluxum quendam ex Phæbi radiis deſcendentem, aeris puri ſubſtridulo flatu occultatum, delinitum cantibus, & infandis verbis cecidiſſe ſuper caput inculpati receptoris, (magi ſcilicet, qui juxta ritum ſe purgarat) terminum velamentorum ſeu vittarum, quibus caput cinctum; mollem vero impleſſe tunicam aſſultim per ventrem citato motu recurrentem, & tandem in humanam vocem erupiſſe. Rhodiginus L. 10. c. 8. ait ſe vidiſſe & audiſſe ſimilem pene mulierculam, Jacobam nomine, tota fere notam Italia, ex cujus ventre immundus ſpiritus vocem prætenuem, etiam ubi vellet dearticulatam, & prorſus intelligibilem emitteret. Concinnatulus Dæmoni nomen erat: hac ille appellatione geſtiens inclamanti ſubinde reſpondebat. Si de præteritis aut præſentibus interrogaretur, quæ reconditiſ-

ſima forent, reſponſa dabat ſæpe mirifica, ſi de futuris, ſemper mendaciſſimus, ſed & inſcitiam ſuam nonnunquam murmure incerto & bombo verius ignorabili retegebat.

Aliud genus Pythonum Necromantiam exercet, quando Dæmones aut Manes ſeu defunctorum animæ magico carmine & certis ritibus ex inferis evocantur. Sic legitur apud Senecam in Oedipo a Tireſia Lacum evocatum eſſe. Fiebat vero evocatio illa vel per ſacrificium & incantationem ſolam, vel modo Theſſalico adhibitis funeſtioribus ritibus, oſſibus, fibriſque mortuorum, & aliis rebus plane feralibus: fiebat quoque deprecatio, & per eandem advocabantur Eumenides, Styx, Chaos, Pluto, Mors, Perſephone, Hecate, Cerberus, Parcæ, & Charon cum obſecratione, commemoratis ſuis meritis, ac cultu aſſiduo infantium occiſorum.

Qualis Pythoniſſa fuerit a Saule requiſita, ventriloqua, an necromantica, quales ritus adhibuerit, & quæ verba expreſſerit, Scriptura non meminit. Juſtinus l.c. ventriloquam fuiſſe cenſet. An autem revera Samuelis animam evocarit, an non, Interpretes diſputant. Veriſimilius eſt vere eam apparuiſſe. Obſervandum interim, eſſe periculoſæ plenum opus aleæ Necromantiæ negotium; imprimis ipſis magis, quos Dæmon

mon ſubinde aufert, & hominum aſpectui ſubducit; dein ipſis, qui curioſe illos conſulunt: a mente enim nonnunquam alienantur, & male pereunt. Notus ſatis eſt infelix exitus Heliogabali, huic ſuperſtitioni valde addicti. In Lege veteri pœna mortis ſtatuta erat Pythoni, & Pythonem conſulenti.

LIB. REGUM III.

CAP. XXII. V. 44.

Quorum genua non ſunt incurvata ante Baal, & omne os, quod non adoravit eum, oſculans manus.

DUo hic adorationis genera recenſentur, genuflexionis & oſculationis, quæ Gentiles in cultu Deorum ſuorum ſolebant uſurpare. Et primo quidem geniculationis uſus in ſupplicationibus antiquiſſimus & creberrimus apud Gentes fuit: ex ipſo ſane inſtinctu naturæ uſus ille videtur promanaſſe, ut qui alteri ſupplicat, ſe eidem genuflexione ſubmittat: illa enim profeſſio eſt manifeſta imbecillitatis atque indigentiæ, quemadmodum non flectere dignitatis atque potentiæ: hinc Elephantus Ægyptiis ſymbolum eſt Regiæ potentiæ,

quod genua non flectat, id est, alterius ope non indigeat, nec necesse habeat alteri supplicare, quod est egentis ac imbecilli. Id causæ est, quare Ergasilus parasitus in Plauti Captivis, cum sibi fortunatus videretur, dicat, sibi certum esse nulli hominum supplicare. Inde solvitur ænigmatica Homeri dictio Iliad. 1. asserentis, preces esse Jovis filias, sed claudas, eo quod ii, qui preces faciunt, in genua se soleant dejicere, ut Phornutus explicat, ut misericordiam Dei implorent & obtineant. Eundem in finem mos erat, illorum genua, quibus supplicabant, tangere, & per hoc robur ac potentiam eorum agnoscere, qua ferre opem possent, si vellent, & labantes confirmare. Causa autem tactus illius videtur fuisse, quod persuaserit sibi antiquitas genua misericordiæ dicata esse, ut Servius in illud 3. Æneid.

Dixerat, & genua amplexus, genibusque volutans
Hærebat.

Physici, inquit, dicunt esse consecratas Numinibus singulas corporis partes, ut aurem Memoriæ, frontem Genio, dexteram Fidei, genua Misericordiæ. Hinc Arnobius l. 6. de Diis ait: *ita enim non videtis spirantia hæc signa; quorum plantas & genua contingitis & contrectatis orantes.* Imo qui vota ob rem optatam a Diis concipiebant,

ea

ea illorum genibus affigebant, ut de illorum benignitate atque misericordia, cujus illa sunt sedes, sibi, quæ poscerent, polliceri significarent. Mos quoque erat Ethnicis signandi vota & incerandi Deorum genua: votum enim quisque suum rite nuncupatum atque conceptum, conscriptumque Deorum genibus cera obsignatum, sive ceratis obsignatum tabellis adfigebat. Unde Juvenal. Satyra 10.

Propter quæ fas est genua incerare Deorum.

Et hæc occasione incurvationis genuum ante Baal; cujus cultoribus non verentur Hæretici conferre Catholicos, eosque idololatras appellare; quod eorum genua incurventur ante Sacramentum Eucharistiæ, & in eodem *Deum Maozim* adorent. Quod si propterea idololatræ sint Catholici, qui Christum vere in Eucharistia præsentem esse & credunt & confitentur, ergo & idololatræ fuere SS. Patres, qui primis vixere sæculis. 1. S. Epiphanius, qui in Dialog. 2. ait: *Symbola Dominici Corporis & Sanguinis post invocationem sacerdotis facta, & mutata credi & adorari.* 2. S. Chrysostom. Hom. 3. in Epist. ad Ephes. *Adora & manduca.* 3. S. Augustinus in Psal. 98. *Nemo illam carnem manducat, nisi prius adoraverit.* 4. S. Ambrosius de eadem carne ait: *quam hodie quoque in My-*

Daniel. cap. 11. *v.* 38.

L. de spiritu S. cap. 12.

steriis adoramus, & quam Apostoli in Domino adorarunt. Et S. Chrysostomus iterum, alio tamen quam prius citato loco, fideles admonet, *ut adorent Corpus Christi in altari positum, quod Magi in præsepi positum adorarunt*: non tantum *in spiritu & veritate*, ut Joannis quarto dicitur, sed etiam genuum incurvatione, cum expresse dicatur, *& procidentes adoraverunt eum*. Quis vero hos SS. Patres, aliosque, nisi insanus sit, idololatriæ insimulet?

Secunda adorationis species erat, manum osculari. Verbum *adoro* putat quidem Lælius derivari melius a verbo oro; non male tamen alii censent, provenire a manus osculo: quia Gentiles Deos adoraturi ad ora manus admovebant, teste D. Hierony. in Apolog. adv. Ruffin.: *Solebant adorantes manum deosculari, & sua capita submittere*. Confirmat idem Plinius in genere l. 28. *inter adorandum dexteram ad osculum referimus*: in particulari Minutius in Octavio: *Cæcilius simulacro Serapidis viso, ut vulgus superstitiosum solet, manum ori admovens osculum labris impressit*. Et Lucianus in Encomio Demosthenis ad finem: *cum ille ori manum admovet, neque ego suspicabar eum aliud facere, quam orare Deos*. Et hæc oratio melior censebatur, apud Græcos saltem, de quibus ait Rhodiginus l. 5. c. 3. *Græcis pluribus preces tum*

de-

demum perfecta videbantur, si inter eas manus exoscularentur.

Modus autem osculandi hic erat: manus ad idolum, vel templum, vel aram apertas extendebant: sic enim canit Lucretius:

Procumbere humi prostratum, & pandere palmas
Ante delubra Deum.

Dein manus ad ora admovebant, formata digitis crucis figura priori digito in erectum pollicem residente, ut latius explicat Jo. a Chockier in face histor. c. 31. Idem Apulejus asserit l. 4. Metam. *Multi admiratione stupidi, & admoventes oribus suis dexteram, priori digito in erectum pollicem, & ipsam prorsus Deam Venerem religiosis adorationibus venerabantur*: illam vero manus partem osculabantur, quæ idolum contigerat: censebant enim venerationem aliquam parti illi exhibendam esse, quæ rem sacram meruisset attrectare; quasi a contactu rei sacræ sanctitatis aliquid libasset & contraxisset. Quod si rem sacram longius a se remotam non possent manu contingere, saltem manum ad illam extendebant, cui dein ut rei sacratæ osculum infigebant. Idem videntur Heliolatræ observasse in Solis adoratione, ut Hussæus Vates innuit c. 31. v. 26. *Si vidi Solem, cum fulgeret, & Lunam incedentem clare, & lætatum est in*

abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum ore meo. Aliquando conformabant labia, quaſi abſentibus ad oſculum oblatura, in amoris & obſervantiæ argumentum. Sic de Gentilibus ait Tert. in Apol. c. 16. quomodo eorum plerique in affectatione aliquando ut cæleſtia adorandi, ad Solis ortum labia vibrarent. Tam frequens vero erat adorationis genus per oſcula, ut Cicero act. 4. in Verrem dicat: Simulacrum Herculis æreum adeo religioſum fuiſſe Agrigentinis, ut rictus ejus & mentum paulo fuerit attritius; quod in precibus & gratulationibus non ſolum id venerari, verum etiam oſculari ſint ſoliti. Lucretius L. 1. canit:

- - - Tum portas propter ahena
Signa manus dextras oſtendunt attenuari,
Sæpe ſalutantum tactu, præterque meantum.

Porro humiliter oſculatam fuiſſe manum illius Numinis, cui ſacrificium fieri debebat, ſuffecerat illis, qui aliud præſtare non poterant, ut obſervat Servius in notis Virgilii: hinc pauperes hoſtiarum loco manus oſculum Diis offerebant. Rhodigin. L. 5. c. 3. Idem Lucianus confirmat de Sacrificiis: *ſi quis pauper ita Deo litat, ut dexteram duntaxat ſuam oſculetur*.

Sed cur dexteræ uſus erat potius in ſacrificio quam ſiniſtræ? eum neceſſe eſt ignorare, quid ſit inter dextram & ſiniſtram,

ſtram, ut phraſi Scripturæ loquar, qui neſciret dexteram lævam nobiliorem eſſe: nam dextrum præfert natura ſiniſtro; cum ſit robuſtior, quam læva; quia viſceri alicui principali, unde vis & robur ſuggeritur, hepati ſcilicet propinquior. Dextera præterea ſymbolum eſt honoris, amicitiæ, libertatis, & fidei. Et hanc rationem affert Iſidorus L. 11. in orat. Lat. Ling. cur dextera oſculum obtulerint: quia omnium rerum authoritas dextræ viribus conſtat, & ipſa fidei teſtis eſt. Ad hæc adoraturi Gentiles dextram partem tenebant, ſecundum illud Plauti in Curcul. Act. 1. Scen. 1. *quo me vortam, neſcio, ſi Deos ſalutas, dextrovorſum cenſeo*. Conveniens proinde erat, manum dexteram pariter ſacro miniſterio deſervire. Quid? quod Deorum Statuæ olim efformatæ fuerint dextra hominibus offerentes munera; cujus exemplum nobis refert Atejus Capito apud Macrobium Satur. 1. Apollinis ſimulacra manu dextra gratias geſtant, arcum cum ſagittis ſiniſtra. Quis Gentilium adeo non Deorum dicam, ſed vel ſui fuiſſet immemor, ut ſiniſtram ad Deos tam liberales extendiſſet, & non dextram; cum hæc olim apud Augures boni & fortunati eſſet ominis? & ideo manum dextram ori admovebant, eo geſtu profitentes, velle ſe Deorum dextras tangere, quaſi omnia ſibi proſpe-

Jonæ cap. 4.

ſpera & felicia ab iis promittentes.

In ſenſu tropologico per oſculationem manus propriæ intelligi poteſt vana gloria, ut Olympiod. ait: *ſæpenumero nonnulli cum ſua facta offerunt, manus oſculantur ſuas*. Et S. Bernard. in Cantic. Serm. 3. *propriam gloriam quærere, propriam eſt oſculari manum: profecto qui dat gloriam Deo, non incongrue Deo dicitur manum oſculari*. Qua ratione illius oſculi contactus fiat, in Pſal. 20. explicat Hugo Carenſis: *Duo labia ſunt, intellectus & affectus, quibus anima fidelis oſculatur Deum, quando intellectus conjungitur veritati, & affectus bonitati*. Si alterutrum deſit, *non eſt plenum oſculum*: ait S. Bernardus. Tunc vero plenum & perfectum eſt, *quando & ſapientia illuſtrat rationem, & virtus afficit voluntatem*. S. Bernard. in Serm. parvis Serm. 54.

LIB. REGUM III.

CAP. XVIII. V. 26.

Tranſiliebantque altare, quod fecerant.

MOdus ille cum ſaltu ſacrificandi uſitatus fuit Gentilibus: vario enim inceſſu & motu Deorum ſuorum feſtos dies obi-

obibant, & inter diſſectas victimæ partes diſcurrebant; ut Corybantes, Salii, Luperci, & ſimiles alii. Cauſa illius ſaltus videtur fuiſſe, quaſi ipſi quoque, dum altare conſcendunt, vellent eſſe victimæ, aut victimas ſe eſſe ea ratione ſimularent: aut certe, ut frequenti illo & numeroſo tranſultu Deum ſuum magis placarent, & etiam repugnantem impellerent. Aliam rationem adfert Servius in Eclog. 5. *quod nullam majores noſtri partem corporis eſſe voluerunt, qua non ſentiret religionem.*

Cælius Rhodiginus L. antiq. lectionum c. 10. refert, quomodo & quare Gentiles ita ſaltarint, & aras circumcurrerint. *In Græcorum monumentis adnotatum nobis eſt, morem ſacrificandi ſervatum diu, ut circumcurrerent aras, curſum auſpicati a lævo dextrorſum, Zodiaci quadam imagine, cujus motio fit mundo diverſa ad exortum vergens; mox vero a dextris lævorſum procurrerent: quo motu cælum rotari manifeſtum.* Idem obſervavit in precationibus & ſacrificiis Indorum Lucianus: *Indi ad orientem converſi ſaltatione Solem conſalutant, cum ſilentio ſe ipſos conformantes Dei choream imitari atque effingere conantur. Et hac Indorum eſt precatio, & chori, & ſacrificium.* Canebant etiam Gentiles in ſaltu, teſte Cælio l. 5. c. 3. ubi ait: *hyporchemata concinebant ſaltantes in altaris*

am-

ambitu, ubi jam igni admota forent ſacra.
tom. 2. l. 12. c. 6. n. 6. Addit Lælius Biſciola carmen illud ſaliare ob celeritatem pyrrichiis conſtitiſſe. Potuit quoque Ethnicis ad ſaliendum fuiſſe ſtimulus exemplum Deorum, Faunorum ſcilicet & Satyrorum, de quibus Iſajæ c. 13. dicitur: *Piloſi ſaltabunt ibi, & reſpondebunt, ibi ululæ in ædibus ſuis, & ſirenes in delubris voluptatis. Ubi ſaltus laſcivus,* ait S. Chryſoſtomus, *ibi diabolus certe adeſt.* Quod ſi corpus deforme ſit impudenter ſaliendo, quanto magis animam fœdari credendum eſt? Plus curæ ſit Chriſtiano ſpiritualis ſaltus, præſertim in ſacrificio, de quo Richardus ita ſcribit in Pſal. 113. *Corporalis ſaltus eſt totum corpus a terra ſuſpendere, ſpiritualis ſaltus ſpiritum & totum, quod ſpiritus eſt, abalienare,* a ſenſuum ſcilicet illecebris. Bonus ſaltus, dum mens facili motu fertur de virtute in virtutem, & de terrenis tranſilit ad cæleſtia & æterna. Salta, dum Propheta, dum Apoſtoli, dum Chriſtus cantat, & ſaltus cantui reſpondeat, ne audias aliquando quod Lucæ c. 7. dicitur: *Cantavimus vobis, & non ſaltaſtis.*

LIB.

LIB. REGUM IV.

CAP. I. V. 2.

Ite, consulite Beelzebub Deum Accaron, utrum vivere queam ab infirmitate hac mea.

OChozias Achabi filius, suasu impiæ matris suæ Jezabelis, ut credibile est, & aversione quadam contra veri Dei Prophetas concepta, quod non nisi malum ei vaticinarentur, mittit nuntios ad Beelzebub, qui Matth. 12. & Luc. 11. vocatur Princeps Dæmoniorum. Est vero Beelzebub, spectando Etymon nominis, idem, quod Deus muscarum vel Maritus. Zebub enim muscam significat. S. Remigius auctor est ab Abimelech Gedeonis filio templum ipsi Baal exædificatum, sacerdotemque ei designavisse Zebub quempiam, quod nomen muscam significat, qui muscas abigeret ob cruorem victimarum affluentes.

Josephus legit: *Consulite Myodis oraculum* : μῦα enim muscam significat. Hinc Myodes seu Deus muscarum : ideo sic dictus, quod muscis plenus esset ob sanguinem victimarum, quo aspergebatur ; & hinc

hinc forsan Ironice Beelzebub a Judæis irridentibus dictus est maximus Palæstinorum Deus, qui in Accaron colebatur. Author catenæ hanc dat rationem: quod nulla musca (ut dicitur) visa unquam fuerit in sacrificio vero Deo immolato, ubi sanguis animalium fundebatur; quo tamen solent muscæ confluere, & inde generari. Quo miraculo læti Judæi irridebant Chaldæos aliosque Allophylos, in quorum sacrificiis, præsertim Accaronitarum, muscæ solebant abundare. Terra enim Accaron, cum esset calida & humida, marique vicina, infestis sordidisque ejusmodi bestiolis abundabat. Hinc sicut aliæ nationes Deos suos Averruncos habebant pro certis malis avertendis; sic Accaronitæ colebant Beelzebub, ut muscarum molestiis liberarentur. Ita Ægyptii ne a serpentibus læderentur, Ibin animal serpentivorum colebant. Apollo fertur fuisse Smintheus, eo quod mures occiderit: nam Smintha Cretensibus idem est, quod mus. Sic idem Apollo Parnopius est appellatus, quod culices & locustas ex Atticis finibus averterit. Verisimile est, eundem Jovem, quem Gentes aliæ colebant sub nomine ἀπόμυιος, quod muscarum esset averruncator, ab Accaronitis cultum esse sub nomine Beelzebub. Et hinc patet, cur Princeps Dæmoniorum fuerit vocatus. De eodem censent dictum fuisse illud Christi:

Cum

Cum fortis armatus custodit atrium suum. S. Chrysost. & S. Augustinus. Idem Beelzebub videtur esse, quem Plinius Myagron vocat, & ab Eleis coli scribit, ne a muscis infestentur. Pausanias narrat de incolis Alipheræ urbis lib. 8. *Jam vero & nundinas celebrant, cui Deo, non satis constat, Minervæ arbitror. In iis nundinis uni ante omnes Myagro rem divinam faciunt, & Myagri nomine implorato securitatem sibi fore inter immolandum ab omni muscarum protervitate pro certo habent.* Hanc fiduciam auxit sperata & obtenta muscarum fugatio: nam Ælianus lib. 5. de animalib. cap. 17. refert, quod muscæ Pisatides eo tempore, quo Olympiæ festum celebraretur, sponte discesserint inde ultra Alphæum flumen, nequid molestiæ crearetur. Videtur autem Ælianus intelligendus esse de festo & sacrificio, quæ fiebant Myodi Deo. Plinius lib. 10. cap. 28. de Cyreniacis: Achorem Deum muscarum multitudine pestilentiam afferente invocabant; quæ protinus interierunt, postquam litatum esset illi Deo. Quod paulo ante de muscis Pisacis relatum est ab Æliano, ejusdem meminit Pausanias, & clarius explicat in Eliacis, proditum esse, Herculem Alcmenæ filium Jovi projicientem, cum muscas abigere non posset, vel quod ei tunc primum in mentem venerit, vel quod tralatitium

homil. 41. in Matth. Lib. 1. q. Evangel. cap. 4.

projicere vel porricere ver-

sue-

dum solenne olim sacrificantibus. fuerit, Abactori muscarum hostiam mactasse, cum perlitatum esset, omnes repente muscas trans Alphæum evolasse; hinc ab Eleis servatum, ut ad abigendas ex Olympia muscas idem sacrum usurparetur. Addit Clemens Alexandrinus in Protreptico suo, Romanos sacrificare Herculi muscarum depulsori. Ejus templum Romæ, ut Julius Solinus refert, neque canes, neque muscæ ingrediebantur: hanc esse causam arbitratur, quod cum imperatorem sacrificulis daret, muscarum Deum dicitur imprecatus, clavam vero in aditu reliquisse, cujus olfactum refugerent canes.

Ex dictis satis liquet, Beelzebub, Myiagrum, Myoden, & Jovem Apomyium eundem esse, quod vel ipsa produnt nomina, quæ a musca deducuntur. Reliquias hujus Dei vidit & notavit Christianus Adrichomius in portu Ptolemaidis, *in cujus medio* (inquit) *insignis turris est*, quæ, quod Beelzebub olim fanum celeberrimum fuerit, turris muscarum vocatur. Porro in Leucade, ubi in promontorio eminentiore Apollinis stat templum, quem Actium nuncupant, bovem muscis immolare fuit receptissimi moris; quem clarius in Protreptico Clemens Alexandrinus enarrat: in Leucade fano Actii Apollinis, cum festum ejus instat, saltant homines, & muscis bovem mactant, qui videlicet earum

rum morſibus conficitur; cum exſatiatæ ſunt cruore, mox abeunt, quaſi ſuo perfunctæ officio. Quam vero abſurdum ſit ejuſmodi ſacrificium, Theodoretus in L. 4. Reg. declarat: quid enim, inquit, eſt muſca odioſius? ſed tamen & ejus ſimulacrum de vita ſciſcitabantur, & quam viventem flabellis expellunt, ejus figuram Deum appellaverunt, & coluerunt in figura muſcæ, ut eſt probabile, ſaltem collo tenus expreſſum, cum & alias viles beſtias pro Diis habuerint, & in earum forma propoſitas honorarint. Symbolum hieroglyphicum Dei muſcarii erat muſca cum Thyrſo ſcyllo cyprio, quod præterquam πολύμορφον δαίμονα, muſcarum etiam abactionem ſignificabat; hujuſmodi hieroglyphico nihil frequentius fuit in obeliſcis Ægyptiorum. *Kircherus in Oedipo Ægyptiaco.*

In ſenſu allegorico Dæmones ob multitudinem, impudentiam, mordacitatem, ſordes, fœtorem, muſcæ dici poſſunt. Elegantem harum cum Diabolo comparationem lege apud Biſciolam noſtrum tom. 1. lib. 16. cap. 23. lib. 10. Etiam ex ea ratione muſcæ ſunt Dæmones, quod, ut Lucianus de ſacrificiis ait, victimarum ſanguini muſcarum inſtar inhiare ſoleant. Quid? quod in vates Gentilium ſub muſcarum forma ſubinde involarint, ut oracula ederent.

In sensu morali comparat S. Gregorius lib. 18. moral. cap. 25. mundanos & carnales homines Accaronitis seu muscæ cultoribus. Ægyptus, quæ hujus mundi speciem tenet, muscis percutitur; *musca enim nimis insolens & inquietum est animal, in qua quid aliud quam insolentes curæ desideriorum carnalium designantur? unde alias dicitur: muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti. Eccles.* cap. 10. *quia cogitationes superfluæ, quæ assidue in animo carnalia cogitante & nascuntur & deficiunt, eam suavitatem ac spiritum perdunt.* S. Hieronymo musca Luxuriæ symbolum est, quam ocyus expedit spirituali muscario, dum blande subingreditur, fugare: qua de re sic idem S. Pater: *quod autem matronis offertis muscaria parvis animalculis ventilandis, elegans signatio est, debere nos luxuriam cito refringere, quin muscæ morituræ oleum suavitatis exterminent.*

LIB. REGUM IV.

CAP. XVI. DE ACHAZ.

Filium suum consecravit transferens per ignem secundum Idola Gentium. v. 3.

CUm inter ceteras qualitates ignis sit, ea, quæ immunda sunt, purgare, per-

persuasi Gentiles erant, ignis beneficio animæ & corporis sordes elui posse & debere; cui enim ignotum est aerem, agros, metalla, & quæ non corpora ignis virtute emaculari? animas etiam contaminatas igne mundari, Virgilius ait Æneid. 6.

------ Aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos, aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igne.

Hinc invaluit mos ille superstitiosus, ut parentes filios suos per ignem transferrent, non solum ut eos purgarent, sed etiam hoc ritu idolis suis consecrarent, & eorum cultui æternum addicerent. Eum in finem adhibebantur lustrales ignes, quibus vel afflati, vel etiam ustulati, idolis suis initiati censebantur. An Achaz filium suum per ignem tantum traduxerit, vel etiam combusserit, incertum est: utrumque secundum morem Gentium, vel alterutrum fieri solebat. Feriæ illæ, in quibus talis fiebat consecratio, Palilia vocabantur, vel a Pale Dea pastorum, vel Parilia a pariendo, quod pecorum partui creditus hic Deus sive hæc Dea præsidere. Quo die celebrari eadem solerent, Propertius canit lib. 4.

Urbi festus erat, dixere Palilia Patres,
Hic primus cœpit mœnibus esse dies.
Annua pastorum convivia, lusus in urbe
Cum pagana madent fercula divitiis.
Cumq; super raros fœni flammantis acervos

Trajicit immundas ebria turba dapes.
Ecce hic expressum morem non filios solum, sed ipsas etiam epulas per ignem trajiciendo expiandi urbem conditam.

Varro apud veterem Persii gloss. refert, Palilia tam privata quam publica fuisse apud rusticos, in quibus congestum ex fœno ac stipulis ignem magnum transiliunt. Hinc bene canit Persius sat. 1. *fumosa Palilia fœno*. Theodoretus censet aliqua superstitionis illius vestigia ad sua usque tempora superfuisse: sic habet. Ego existimo, id quod dicitur tacite significare genus erroris, quod ad nos usque pervenit: vidi enim in aliquibus civitatibus semel in anno accendi rogos, & trans eos saltare aliquos, non solum pueros, sed etiam viros, infantes autem per flammam ferri a matribus. Videbatur autem quædam esse expiatio & purgatio: existimo autem hoc fuisse Achazi peccatum. Hucusque Theodoretus.

Hunc locum Theodoreti indicat lib. 2. Annal. Glycas Siculus, cum docet, ipsum non sensisse, Achaz solido sacrificio unum ex liberis Baali concremasse, ut Josepho placet, sed tantum trajecisse per ignem, ut error fert nostrorum, inquit, temporum, cum semel in anno rogos accendunt, quibus injiciuntur & pueri, & viri, quin & infantes ab ipsis matribus per flammam transportantur ad averruncationem & lu-

stra-

ſtrationem. Forte de ſolis paganis locutus eſt Theodoretus. Quia tamen Palilium luſtrationes, & Catharmi exeunte vere aut ineunte æſtate agitabantur a Romanis ruſticis, non eſt improbabile manſiſſe etiam apud Chriſtianos morem 23. aut 24. die Junii ignem e fœno excitatum tranſiliendi. Refert Balſamo ad Conc. Trull. canon. 65., quo interdicti leguntur hi rogi pro domibus & officinis, quos tranſilire vetus mos erat. E quodam canone ejuſdem Concilii habentur Cyri Michaelis Patriarchæ Conſtantinopolitani hæc verba: Inter cetera die 23. Junii menſis concurſus fiebat in vicis, & in quibuſdam ædibus virorum ac mulierum, & per totam noctem rogos accendentes ſuper eos exiliendo Dæmoniace ominabantur & divinabant de proſperis & adverſis eventibus aliiſque rebus. Par cauſa fuit, cur diem illum S. Joanni Baptiſtæ ſacrum Lampadem vocarent, quod ex S. Joan. Chryſoſtomo, boni parentis filius degener a fide Joſephus Scaliger in 7. Operis magni refert. *Qui mos* (verba ſunt Biſciolæ) *in* *Tom.* 2. *l.* 15. *mentem revocat mihi morem non diſſimilem Peruſinorum ruſticorum : nocte ante S. Georgii Martyris, aut S. Marci, congerie aridorum ſarmentorum incenſa, & per clivos, colles, monteſque villarum dejecta, dum accenſi devolvuntur, alte vociferantur.*

Ex dictis constat translationem per ignem fuisse Gentilibus quasi baptisma, quo purgati sordibus initiabantur Idolis suis, & sacri fiebant.

Divinius longe Baptisma habet Ecclesia Catholica, quo homines a nævis suis purgantur, & Deo perfectius consecrantur. De eodem meminit S. Joan. Baptista, Matth. 3. *Ipse vos baptizabit in Spiritu S. & igne*. S. Chrysostom. homil. 3. in Imperf. Op. per ignem, quo Christus baptizat, tribulationem intelligit: nam *sicut igne probatur argentum, & aurum camino; ita corda probat Dominus*, Proverb. 17. De iis vero, qui ab hac probatione eximuntur, illud Jeremiæ intellige: *Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit illos*. Ne ad casum tam infaustum labamur, expedit potius cum Psalmista petere: *Proba me Domine, & tenta me, ure renes meos*; ut inter eos aliquando numeremur, qui apud Vatem Regium non sine gaudio dicunt: *Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium*. A quo licet quis post obitum ad tempus impeditur; Apostoli tamen testimonio, *Salvus erit, sic tamen, quasi per ignem*, ad Corinth. cap. 3.

LIB.

LIB. REGUM IV.

CAP. XVII.

Unaquaque Gens fabricata est deum suum. -- Viri Babylonii fecerunt Socothbenoth: viri autem Cutai fecerunt Nergel, & viri de Emath fecerunt Asima. Porro Hævæi fecerunt Nebehaz & Tharthac; hi autem, qui erant de Separvaim, comburebant filios suos igni Adramelech, & Anamelech diis Separvaim.

ECce tibi coloniam deorum Babyloniorum, quorum nomina videntur esse propria linguis earum Gentium, a quibus culti sunt: si enim derivationem suam haberent a lingua Hebraica, vertisset illa S. Hieronymus, quod non fecit. Nec obstat, quod Socothbenoth hebraice significet tabernaculum filiarum; cum subinde nomen, quod est appellativum in una lingua, in altera sit proprium. Imo in eadem lingua id non raro contingit.

Vatablus ait, horum deorum nomina esse Syriaca & Chaldaica, & quod Socothbenoth idem significet, quod Gallina cum pullis suis, quos alis suis umbraculi instar seu tabernaculi solet excipere & fovere.

Cum vero Babylonii essent excellentes Astrologi, videntur sub hac figura coluisse cœlestem constellationem, quæ vocatur gallina cum pullis suis, & sunt stellæ in signo Tauri, solentque Plejades vel Athlantides nominari. Inter omnes constellationes hæc nominatissima habetur in sacris literis, ut Job cap. 9. cap. 38. item Amos cap. 5. Longa enim cœlestium corporum inspectione & observantia notatum est, eam Zodiaci partem, quam Tauri titulo Veteres insignivere, maxime vitalem esse, utpote in qua Sol constitutus omnia vitali calore humoreque repleat. Gallinæ autem nomine vocarunt, tum quod imaginem ejus cum pullis referat, tum quod humore abundanti & fœcundo calore inferiora reficiat. Et cum fœcunditatem Veneri Gentiles adscriberent, nonnulli cœlestem Venerem appellarunt. Cultus hujus Numinis in adulteriis & fornicationibus consistebat. Oblationes erant furfures, farina, molæ salsæ, libamina, & placentæ. Accedit, quod insigniores solemnitates mense Athyr, Vergiliarum seu Plejadum ortui respondente, ab Ægyptiis & Græcis peragerentur: tunc enim plagam illam cœli quasi præ cæteris diviniorem & humano generi faventiorem respiciebant.

Nergel idem est, quod gallus gallinaceus, quem pro deo olim habitum fuisse

Lucianus testatur L. de Dea Syria. Simulacrum ejus in figura galli gallinacei, sub qua Solem, aut ignem Persæ, ex quibus Cuthæi oriundi, olim colebant. Quod Gallus Persis olim imperarit, & Marti sacer fuerit, Aristophanes testatur. Persiam quoque primum gallos produxisse Athenæus meminit: *Sunt illic (in Junonis Samiæ templo) pavones Junoni sacri, primi quidem in Samo editi ac educati, -- veluti galli e Perside, -- unde gallus passim avis Persica audit*. Multis quidem diis ac deabus gallus olim fuit consecratus, imprimis tamen Marti, quod sit animal pugnacissimum. Deinde Soli ac Lunæ, quod tempus indicet, & sit quasi in signa & tempora. Præterea Latonæ, Majæ, Nocti, Laribus, Mercurio, Herculi, & Æsculapio. Plutarchus refert L. de Isid. & Osirid. quod Ægyptii soliti sint gallum jam album, jam nigrum Osiridi immolare.

Asima simulacrum fuit Emathitarum in similitudinem hirci formatum. Cultus idoli hujus ab Ægyptiis manavit, imprimis Mendesiis, a quibus hircum summo in honore fuisse habitum solennitates testantur, huic quotannis in urbe Mendesia exhibitæ; unde & Tragolatræ dicti sunt. Verba Diodori sunt: *Hircum Ægyptii deificaverunt, sicut Græci Priapum*. Nihil fere frequentius est videre in Ægyptiorum hiero-

rogly-

roglyphicis, quam hirci caput baculo vel aræ impositum, & hoc symbolo salacem naturæ fœcunditatem exprimebant.

Tharthac Rabini volunt idolum fuisse asini figura propositum. Typhonem vero sub asini figura ab Ægyptiis fuisse repræsentatum, & velut sinistrum Numen ab iis fuisse victimis placatum, Plutarchus meminit L. de Osirid. & Isid.

Nebehaz idolum significat canis figura expressum. Fuisse autem canem Numinis loco a Gentilibus habitum, Authores tradunt. S. Cyprianus in Epist. contra Demetrianum: *Crocodili & Cynocephali, & lapides & serpentes coluntur*. *Semicanesque deos* canit Lucanus. Cynopolis a cultu canis nomen suum obtinuit; de eadem scribit Strabo: *Sequitur Nomus Cynopolites & canum urbs, in qua Anubis colitur, & canibus habetur honor, & sacer quidam cibus canibus est constitutus*. Bubastus urbs Ægypti celeberrima (*quæ in nostra idem est, quod Diana*, ait Herodotus in Euterpe, & Divino eam cultu prosequitur) fertur canem quoque velut Numen venerata; quod mirum non est; cum enim Diana venatrix sit, uti Græci, sic & Ægyptii canes ei adjunxere. Cæterum deus ille Ægyptiorum, forma canis expressus, Anubis erat, qui propterea appellatur a Virgilio Æneid. 8. & Ovidio lib. 9. Metam. *La-*

tra-

trator Anubis. Hic vero fuiſſe creditur ipſe Mercurius, ut Servius notat: *Quia canino capite fingitur, volunt eſſe Mercurium, ideo, quia nihil eſt cane ſagacius*. Accedit, quod Hermanubis vocetur a Plutarcho L. de Iſid. & Oſirid. Hermes vero Mercurius eſt. Confirmatur ex Apulejo, qui Mercurium ita deſcribit: *Ille ſuperum commentor & inferum, nunc atra, nunc aurea facie ſublimis attollens canis cervices arduus Anubis, læva caduceum ferens, dextra palmam virentem quatiens*.

Fundamentum ſuperſtitioſi hujus cultus videtur fuiſſe hiſtoria. Oſiris toti Ægypto imperaſſe fertur ſumma cum prudentia, majeſtate & gloria, præclara & heroica patraſſe facinora, varias artes & ſcientias adjutore Mercurio homines docuiſſe. Inde & Oſiris & Mercurius poſt fata Apotheoſin meruere. Sed cur ſub canis ſpecie cultus ſit Mercurius, dictus Anubis & Cynocephalus, varia datur ratio. Prima, quod Oſirim ad bellum ſecutus geſtarit canis inſigne in clypeo, Diod. Siculus. Secunda, quod Iſidis & Oſiridis corpora cuſtodierit: rerum autem cuſtodia canibus eſt propria. Tertia ex Servio adducta eſt, ſcilicet, quod canes ſagaces ſint, & ferarum veſtigia inſequantur; ita Mercurius dicitur varias artes & literas humano generi perquam utiles & neceſſarias ſagaciter inda-

gaſſe,

gasse, & ideo etiam dilexisse canum corpora, velut naturæ suæ perquam similium. Quartam, si velis, adde, ne sanctius Numen præ diis cæteris videatur: quia canis lasciviæ symbolum est; Anubis vero mæchus a Tertulliano appellatur.

Anamelech & Adramelech idem videtur fuisse Numen cum Moloch; cum illis pariter Scriptura dicat filios hominum combustos fuisse & immolatos. Erat enim Gentibus proprium unum eundemque deum, v. g. Solem & Lunam., diversis figuris, diversis in regionibus adumbrare. Moloch vero, idem qui Mars Ægyptiorum seu Mythra Persarum. Revera autem Sol ipse, cui equos fuisse sacros Justinus L. 1. testatur. Et hæc causa est, cur idolum, de quo in præsenti, figura equi dicatur fuisse expressum. Nonnulli censent Adramelech muli imaginem retulisse, & sub eadem Lunam fuisse cultam. Proclus certe in Hesiodum tradit, mulam Lunæ sacram fuisse: quod Festus confirmat. Mulus vehiculo Lunæ adhibetur, quod ea tam sterilis sit, quam mulus, vel quod mulus non suo genere, sed equi, sic ea Solis, non suo fulgore luceat. Alii denique per Adramelech censent significari simulacrum Pavonis, aut alterius cujusdam speciosæ avis, tum ob etymon nominis, tum quod magno in honore apud Persas, aliasque Gentes avis il-

la

la fuerit Junoni ſacra, id eſt Lunæ, ob admirandam colorum varietatem & viciſſitudinem, quam intuentes Ethnici ita ſtupuerunt, ut Pavonem Argos vocatum in noctis & diei hieroglyphicum aſſumpſerint. Pererius.

Ex dictis patet, quam abjecta fuerit & propudioſa gentilium religio, deos ſuos ſub canis, hirci, aſini, mulique ſpecie proponens adorandos. *Itane iſtud non turpe eſt,* (verba ſunt Arnobii) *non impietatis & contumeliæ plenum eſt, moribundi & caduci animantis lineamenta diis dare? Quis non rideat & execretur Ægyptiorum ænigmata, quod mulorum animantium formas divinis inſeruerint cauſis? - Si aſelli, canes, porci humanum aliquid ſaperent, fingendique haberent artes, iidemque nos vellent cultu aliquo proſequi, & ſtatuarum conſecrationibus honorare, quantas nobis irarum flammas concitarent, ſi ſuorum corporum formas noſtra vellent portare atque obtinere ſimulacra? Quam res indigna, & indignatione digniſſima, ſi Urbis conditor Romulus aſinina ſtaret in facie, ſi ſanctus Pompilius in canina, ſi porcina ſub ſpecie nomen eſſet Catonis, aut Marci Ciceronis inſcriptum? Ita ergo ſtoliditatem veſtram non rideri (ſi rident) veſtris a Numinibus remini?* &c.

Arnobius adv. gentes lib. 3. num. 6.

LIB. REGUM IV.

CAP. XXVIII. De JOSIA.

Abstulit quoque equos, quos dederant Reges Juda Soli, currus autem Solis combussit igni. V. 11.

AN equi illi, quos dicitur abstulisse Josias, vivi ac veri fuerint, vel tantum ficti & picti, non adeo certum est. Lyranus & Historia Scholastica censent fuisse pictos tantum; Abulensis veros, cum Rabbino Salomon; qui ait, quod soliti fuerint Gentiles mane Soli orienti cum equis obviam procedere, quasi eundem salutaturi. Satis constat ex historiis mos Ethnicorum Solem mane salutandi: de eadem consuetudine meminit Plutarchus, item Herodianus, dum de Artabani scribit exercitu; & Sozomenus lib. 2. Historiar. cap. 8. & 9. refert, quomodo S. Simeon recusaverit Solem adorare.

Vivos equos fuisse Soli sacros, ex eo probari potest, quod iidem fuerint Soli in victimam oblati. Sic Justinus lib. 1. refert, equos Soli sacrificatos, quod etiam Philastrius lib. 1. & in Lacon. Pausanias testantur. Philostratus in Heroicis ait: Palame-

Iamedem Græcis præcepisse, ut orienti Soli equum candidum mactarent. Massagetæ Persarum inimici equam Soli offerebant in sacrificium, Strab. lib. 11. idem Mysii faciebant; sic enim de iis Florus lib. 4. cap. 12. Illi statim ante aciem immolato equo concepere votum, ut cæsorum extis Ducum & litarent & vescerentur.

Causam aliquam, cur equus potius, quam aliud animal Soli fuerit in sacrificium oblatus, Ovidius adfert l. 1. Fastor.

Ne detur celeri victima tarda deo.

Sic Lactantius lib. 1. de falsa relig. ait: Lunæ mactatum fuisse taurum; quia similiter habet cornua. Causam quoque ibidem refert, quare asinus olim Priapo fuerit sacrificatus. Unde patet suam cuique Deo congruam victimam, quantum fieri potuit, fuisse destinatam.

De curru Solis meminit Xenophon lib. 8. Pædiæ Cyri e Babylone, ubi ait: *Post boves, equos secutos esse, ut Soli sacrificium existerent. Post hos currus educebatur -- candidus jugum habens aureum, coronatus, Jovi sacer; post hunc ducebatur Solis currus candidus, & coronatus similiter ut superior.* Qua vero ratione & modo Solem Gentiles venerati sint, refert Aurelius Prudentius:

Post trabeas & eburnam aquilam sellamque curulem,

Cor-

Cornuaque ora ſenex barbatus, & oſcula figit
Cruribus aripedum, ſi fas eſt credere, equorum,
Immotaſque rotas; & flecti neſcia lora,
Aut ornat redimita roſis, aut thure vaporat.

Macrobius Lib. 1. Saturnal. cap. 30. ita cultum Solis deſcribit: *Vehitur ſimulacrum Dei Heliopolitani ferculo, veluti vehuntur in pompa ludorum Circenſium deorum ſimulacra, & ſubeunt plerumque Provinciæ Proceres raſo capite, longi temporis caſtimonia puri, feruntur que divino ſpiritu, non ſuo arbitrio, ſed quo deus propellit vehentes.* De forma ac figura ſtatuæ ait: *Quod fuerit ſimulacrum aureum ſpecie imberbi, dextra elevata cum flagro in auriga modum, læva tenens fulmen & ſpicas.*

Quatuor Solis equos Poetæ finxerunt, quorum beneficio currus Solis toto cœlo circumvehitur. Ovidius lib. 2. Metam.

---- Pyrois, Eous, & Æthon
Solis equi, quartuſque Phlegon,

Quæ nomina nihil aliud, quam lucem & ardorem Solis ſignificant. De iiſdem & curru Solis ita canit Aurelius Prudentius, vetus Poeta Chriſtianus:

Hoc ſidus, currum, rapidaſque agitare quadrigas

Com-

Commenti, & radios capitis, & verbera dextra,
& frænos, phalerasque, & equorum pectora anhela,
Æris inaurati vel marmoris, aut orichalci
Jusserunt nitido fulgere polita metallo.

Fundamentum hujus fabulæ, verosimile est, fuisse historiam Eliæ curru igneo & equis igneis in cœlum rapti: prisci enim Philosophi gentilitatis tenebris involuti, ea quæ ex Scripturis legerant vel audierant, deliramenta reputantes ad fabulas conversi sunt. Ita censet Joannes Episcopus Hierosolymitanus; cum & maxima inter nomen Solis & Eliæ sit cognatio; Græce enim Sol ἥλιος dicitur, ut notavit Sedulius ita canens:

Quam bene fluminei prælucens semita cœli
Convenit Eliæ, meritoque & nomine fulgens!
Hac ope dignus erat, quoniam sermonis Achivi
Una per accentum mutetur litera, Sol est.

Idem sentit Angelomus, V. Beda quæst. 37. & S. Chrysostomus Homil. 1. de Elia, dicens: *Hinc poetas atque pictores in figuranda Solis imagine exempla credo sumpsisse, qui curru atque equis fulgentibus ipse rutilans atque radians e fluctu Oceani sublevatur, inter præruptos montium scopulos evadens quasi ad cœlestia videtur evadere.*

Abulensis censet, per quatuor Solis equos quatuor diversas anni & dierum partes significari, quas certe cursu suo citatissimo Sol facit & distinguit.

In sensu allegorico sunt quatuor Evangelistæ, qui per totum Orbem currum Solis justitiæ scriptione & prædicatione Evangelii circumduxere. Vide S. Gregorium L. moral. 31. cap. 11.

Moralem sensum nobis explicat S. Ambrosius L. de Isaac & anima cap. 8. *Si currus est anima, habet equos vel bonos vel malos, boni equi virtutes sunt animæ, mali equi passiones sunt corporis. Bonus ergo rector malos equos restringit & revocat, bonos incitat. Boni equi sunt quatuor, prudentia, temperantia, fortitudo, justitia.*

LIB. JUDITH.

CAP. XVI. V. 8.

Nec filii Titan percusserunt eum, nec excelsi Gigantes opposuerunt se illi.

JUditha Amazon Judæorum gratias DEO agens pro reportata ab Holoferne victoria, & carmen Eucharisticum intonans, singulari encomio Divinam exaggerat fortitudinem, quod non per Titanas

Ducem

Ducem Assyriorum percusserit, nec Gigantes eidem opposuerit, sed per se infirmam mulierem prostraverit. Hinc satis nota tunc temporis videntur fuisse, quæ de Gigantum robore referuntur.

Distinguit Servius in Æneid. 6. inter Titanes & Gigantes; illos dicit fuisse, quos contra superos deos terra primum effudit; gigantes, quos posterius. Hesiodus in Theog. putat, Titanes esse subterraneos dæmones, quos contra superos deos irata Tellus in ultionem effuderit. Fabulantur vero Poetæ, Titanes ac Gigantes cœli terræque filios mole corporis admodum proceros eo processisse audaciæ & temeritatis, ut adversus Jovem rebellare, ejusque cœlum expugnare tentaverint; sed trisulco Jovis fulmine percussos, & ad inferorum barathrum fuisse deturbatos.

Origo hujus fabulæ desumpta videtur ex lib. Genes. cap. 6. ubi dicitur: *Gigantes autem erant super faciem terræ in diebus illis. Isti sunt potentes à sæculo, viri famosi*, qui immanitate scelerum Deum & cœlum quodammodo oppugnarunt, sed justo Dei supplicio extincti sunt. Ovidius de iis 1. Metam.

Affectasse ferunt regnum cæleste gigantes,
Altaque congestos struxisse ad sidera montes.

Quæ fictio inde forsan derivata est, quod Babylonii turrim tam altam cœperint æ-

dificare, cujus culmen ad cœlum pertingeret.

Ut ex umbra hujus fabulæ veritas rerum naturalium magis nobis innotescat, juvat proferre in medium, quæ de Titanibus Ægyptii memoriæ prodiderunt. Primo igitur dicuntur fuisse Cæli filii, & mater eorum Terra. Per illos filios intellige Vapores: illi enim sunt gigantes, quia a terra fiunt & nascuntur; cum gigas derivetur a verbo γίνομαι, nascor, fio, & γαῖα vel γᾶ, terra. Illi Titanes sunt, eo quod, dum e terra nascuntur, & in aerem ascendunt, se extendant: nam Titan a Græco verbo τιταίνω suam videtur originem trahere, & idem significat, quod extendo. Fingitur Rhea sive Terra Titanes educasse; quod humus apta sit emittendis & recipiendis vaporibus. Rhea Hyperioni uni ex Titanum fratribus in matrimonium data est: quia vaporibus multum quoque terreæ materiæ jungitur & commiscetur. Sic Rhea Hyperioni, sive super terram eunti & elevato vapori commixta masculum & fœmellam Solis & Lunæ nomine vocatam genuit: id est, vapores terreis particulis immixti, & altius elevati imagines subinde generant Soli & Lunæ non absimiles. Alii interim fratres dicuntur sceleris plenum facinus excogitasse, ut jugularent Hyperionem, & Solem parvulum in Eridano fluvio suffocarent;

rent: hoc eſt, alii vapores craſſiores, nec tam altum aſcendentes, dum coeunt in nubes, ſubtrahunt noſtris oculis clariores vaporum imagines, & ipſum Solem parvulum, dum oritur, obſcurant, & ſuis quaſi aquoſis nubibus ſubmergunt. Mater cum illam crudelitatem fratrum ægerrime ferret, dicitur fuiſſe monita, non eſſe lugendum, eo quod Titanes eſſent a Sole caſtigandi, & in terram dejiciendi. Quod fit, dum Sol altius aſcendens, radiis ſuis vapores coeuntes diſſipat, & in pluvias ſolvit, unde non raro ſerpentes, ranæ, ſtelliones, & alia ejuſmodi venenata animalcula naſcuntur. Et hoc eſt, quod dicitur ex Titanum profligatorum ſanguine in terram defluo varia viperarum & ſerpentum genera fuiſſe exorta, ut Nicander in Theriacis ait:

Serpentes, pariterque Phalangia noxia, & atrum
Vipereum genus, & quæ terra plurima monſtra
Producunt, ſunt Titanum de ſanguine nata.

Nihil communius fuit Gentilibus, quam rerum naturalium cauſas ejuſmodi involucris tegere, & pro Divinis Myſteriis venditare. Hunc abuſum acri ſtylo perſecutus eſt Arnobius L. 5. adverſ. Gentes circa finem.

Senſus moralis clarus eſt ac apertus ex noto verſu: *Sequitur ſuperbos ultor a tergo*

Deus. Nec ullus hucusque extitit Theomachus, ac contemptor DEI, qui non cum Gigantibus vindictam ejus fuerit expertus. Sic Rex Pharao toties ausus Deo resistere, suam cum suis in molli elemento duritiem
Job. 26. debuit luere. *Ecce Gigantes gemunt sub aquis*. Quis adversus Deum contumacior fuit Antiocho? Sed non tantum sepulchrum patens factum est guttur ejus, sed corpus totum, *ita ut de corpore impii vermes scaturirent, & viventis in doloribus carnes ejus effluerent*, 2. Machab. 9. Quis Rege Herode insolentior? Quo fine? *Consumptus a vermibus expiravit*, Act. 12. Omnium ejusmodi Theomachorum agmen claudet Antichristus. Hic quasi novus Titan Deum & Christum ausu prorsus temerario tentabit expugnare. Nomen ejus, cum S. Joannis testimonio in se complexurum sit numerum 666. secundum S. Irenæum & Hyppolytum TEITAN vocabitur: in eo enim prædi-
2. Thess. 2. ctus numerus continetur. Sed hunc *Dominus Jesus interficiet Spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui*. *Ut discant omnes terrarum populi*, Jos. 4. *justum est, subditum esse Deo, & mortalem non paria DEO sentire*, 2. Machab. 9. V. 12.

JOB

J O B

CAP. IX. V. 9.

Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & interiora Auſtri.

QUemadmodum multa Gentiles de Sole, Luna, aliiſque Planetis finxere; ita de conſtellationibus, quarum in præſenti ſit mentio; quæ nomine Ethnicis uſitato exprimuntur, ut S. Gregorius ait, addens rationem: *Hæc quippe aſtrorum nomina a cultoribus ſapientiæ carnalis inventa ſunt; ſed Scriptura Sacra idcirco eiſdem vocabulis utitur, ut res, quas inſinuare appetit, notitia uſitatæ appellationis exprimantur*. Bene tamen monet S. Hieron. in cap. 5. Amos, quando audimus Arcturum, & Oriona, non debere nos ſequi fabulas Poetarum, ridicula & portentoſa mendacia, quibus etiam cœlum infamare conantur, & mercedem ſtupri inter ſidera collocare, quod vel ipſa Juno apud Ovidium indigne ferens ait:

Sideraque in cœlum ſtupri mercede recepta pellite.

Arcturus nomen Græcum eſt, idem ſignificans ac Urſinæ Cauda. Signum hoc

 cœle-

cœleſte in Bootæ aſteriſmo poſt Caudam Minoris Urſæ ſuam habet ſtationem. Latini Plauſtrum nominant. In Hebraico legitur ghas a radice ghus, quod idem eſt ac congregare. An vero ſtellarum quarundam congregationem, aut pluviarum, vel utramque ſignificet, Aſtrologi diri-mant. Cæterum Plinius lib. 2. c. 39. de Arcturo ait, quod non ferme ſine procelloſo grandine emergat. Ante eum Plautus in Rudente: *Arcturus ſignum ſum omnium acerrimum, vehemens ſum, cum exorior, cum occido, vehementior*. Horatius lib. 2. Carm. Od. 2.

Deſiderantem quod ſatis eſt, neque
Tumultuoſum ſolicitat mare,
Nec ſævus Arcturi cadentis
Impetus, aut orientis Hœdi.

Orion ſidus cœleſte eſt, vehemens & horridum, teſte Plinio cum Poeta:

Dum pelago deſævit hyems, & aquoſus Orion,
Dum pecori lupus & nautis infeſtus Orion.

Hinc volunt aliqui, nomen illud derivari a Græco verbo ὀρίνω, quod ſignificat turbo & concito. Idem eruitur ex Hebraico nomine Cecib a radice Cacal, quod varietatem & inconſtantiam denotat. Multa ac varia de Orione finxerunt Poetæ; qua ratione locum inter ſidera obtinuerit, Diocles refert, quod cum Orion per inſi-
dias

dias Apollinis a ſorore ſua ex ignorantia occiſus eſſet, ipſa dolore commota a Jove impetrarit, ut inter ſtellas locaretur. Cæterum ſub figmentis Orionis exhibetur nobis vis, energia & poteſtas illius cœleſtis ſideris in nubes, nives, grandines, pluvias, imbres & tempeſtates; quæ exortu illius ſtellæ tum indicantur, tum cauſantur. V. g. 1. Dictus eſt Orion filius Neptuni, Jovis & Apollinis; quia ad generationem eorum, quæ in aere fiunt, concurrunt ſol, aer, & mare. 2. Orion in Chium veniens, & Meropem violare quærens, extra regionem privatus lumine ejicitur; quia materia vi Solis e mari extracta & extenuata, dum ad partem aeris ſummam & regionem igneam accedit, in qua magis diffunditur, (nam χέειν, a quo Chium, ſignificat fundere) accenſa deorſum ad craſſiorem materiam repellitur, & cæcis nubibus immiſcetur. 3. Orion benigne a Vulcano exceptus, ad Solem vero profectus, priſtinæ ſanitati reſtitutus, & inde in Chium reverſus, quod nihil eſt aliud, quam circularis elementorum & mutua inter ſe generatio & corruptio. Idem fere eſt, quod fingatur a Diana occiſus: eo quod illam auſus eſſet attingere. Dum enim vapores nimis alte aſcendunt, vi Lunæ congregantur, & in pluvias imbreſque convertuntur, &c.

Senſus poeticus & naturalis.

Hya-

Hyades septem stellæ sunt in capite Tauri. In ortu & occasu pluvias creant; hinc & nomen sortitæ sunt; ut Ovidius ait:

Ora micant Tauri septem radiantia stellis
Sidera, quas Hyades Grajus ab imbre vocat.

De hoc asterismo Lib. 2. de natura deorum ait Cicero: *Ejus* (Tauri scilicet) *caput stellis conspersum est frequentibus. --- Nostri imperite succulas, quasi a suibus essent, non ab imbribus nominata.* Poetæ fabulantur, has Hyadas a fratris nomine sic appellatas, Bacchi nutrices fuisse. Dodonides Nymphæ etiam vocatæ sunt, a Dodona Epiri civitate, quæ cum Junonis iram vererentur, fugerentque Lycurgi Regis sævitiam, a Jove in cælum translatæ sunt. Alii tradunt Athlantem ex Æthra uxore Hian filium suscepisse, septemque puellas, quæ cum fratrem a Leone devoratum implacabili luctu prosequerentur, dolorisque magnitudine contabescerent, Jovis miseratione in septem stellas sunt conversæ, ut perpetuum maneret tantæ pietatis testimonium.

Poeticus.

Historicus. In sensu historico fertur septem stellas in Tauri capite Hyadas fuisse nominatas ab Atlante Lybico astronomo peritissimo, qui prior stellas istas, & quas vires exer-

ceant

ceant in res ſublunares, creditus eſt obſervaſſe; proin in perpetuam rei memoriam filiarum ſuarum nomina aſtris indiderit. Quod & alii plerique fecerunt: in ſpecie Conon, qui Ptolomæi tempore comam vocavit Berenices. Sub naturalis veritatis imagine Atlantis filiæ Hyades fuere: quia poſt cœli ſive axis ortum & ſtellæ ipſæ natæ ſunt.

Senſum allegoricum Arcturi ita nobis explicat S. Greg. Magnus Lib. 9. moral. cap. 6. Quid Arcturi nomine, qui in cœli axe conſtitutus, ſeptem ſtellarum radiis fulget, niſi Eccleſia univerſalis exprimitur, quæ in Joannis Apocalypſi per ſeptem Eccleſias, ſeptemque candelabra figuratur, quæ dum dona in ſe ſeptiformis gratiæ ſpiritus continet, claritate ſummæ virtutis irradians quaſi ab axe veritatis lucet.

Secundo, Oriones cœlum edidit, dum S. Eccleſia martyres miſit, ait idem S. Doctor: nunquam enim emicare ſolent clarius & frequentius martyrum lumina, quam dum perſecutionum ingruunt tempeſtates. Per Hyades Doctores S. Pater intelligit, & Prædicatores Eccleſiæ, qui dum intelligentiæ Divinæ Spiritu ſunt repleti, tanquam imbres mittunt eloquia ſapientiæ ſuæ. Denique per interiora Auſtri fervorem Spiritus ait deſignari. Hunc deſide-

rabat

rabat, Sponsa Cant. 4. cum diceret: *Veni Auster, persla hortum meum, & fluant aromata illius.*

In sensu morali, ut Sol cum signis Zodiaci mira operatur per quatuor anni tempestates in mundo hoc inferiori; ita Sol justitiæ in fidelibus, qui vel in hyeme pœnitentium, vel vere incipientium, vel proficientium æstate, vel autumno perfectorum inveniuntur, mira agit influxu inspirationum suarum; dum enim pœnitentes plangunt, & in semetipsos instrumentis pœnitentiæ desæviunt, in se, quod Arcturi est proprium, repræsentant. Et quid aliud sunt incipientes, quam Oriones? dum periculosam carnis turbant malaciam, & fervore spiritus perfectionis obstacula e medio tollunt. Qui vero de virtute in virtutem proficiunt, fœcundum seminatis irriguum quasi Plejades subministrant. Nulli tamen sic interiora Austri, & arcana spiritualis vitæ gaudia experiuntur, quam qui perfectionis apicem conscenderunt; digniores profecto, qui mæchorum & meretricum loco cælesti inserantur firmamento: ut luceant tanquam stellæ in perpetuas æternitates.

JOB

J O B

CAP. XXI. V. 33.

Dulcis fuit glareis Cocyti.

HUffæus Vates præfenti capite caufam quęrens, cur malorum nonnullli ufque ad finem vitæ felices fint, boni vero affligantur, refpondet: *Quia in diem perditionis fervatur malus*, verf. 30. Vita, quæ propter afflictiones continuas molefta juftis eft & amara, *dulcis fuit glareis Cocyti*, id eft peccatoribus. Hæc Lyrani explicatio brevis & expedita. Glarea minimi funt lapilli, arenæ mixti, vel terra fabulofa, quæ fubinde cum flumine devehitur. Homines vero præfertim multos arenæ comparari, in Scriptura nihil novi. Cocytum fabulati funt antiqui effe rivum Stygis, & cum Periphlegethonte in Acherontem fluere, eumque defunctis animabus tranfeundum effe, priufquam ad inferos deveniant. Si etymon Cocyti fpectes, a Græco verbo κωκύω derivatur, id eft, ploro, lugeo. Addit Græcum Lexicon, quod fit verbum fictitium ad vocem galli, forfan ideo quod gallum avem nocti facram Poetæ finxerint: ut enim nox *Gallice coqu idem quod Gallus.*

atra

atra dicitur, ita & Cocytus:

Visendus ater flumine languido
Cocytus errans.

Horat. Lib. 2. od. 14. Et Claudianus:

Cocytusque sinu labens circumfluus atro:

Revera autem nihil aliud videntur voluisse veteres Mythologi per hanc fabulam, quam quod homines per Cocytum, hoc est, non sine dolore & luctu hinc discedant.

Cluverius in Italia antiqua. Fundamentum hujus Fabulæ præbuit Campania, in cujus litore Cumas inter & Puteolos multi fontes calidi, haud procul inde antrum, & juxta lacus magnus cum pestilenti exhalatione. Campus præterea Phlegræus montibus in orbem cinctus, igneis quasi caminis sulphureos vapores exspirans. Ibidem fluvii Styx, Periphlegethon, Cocytus & Acheron dicti. Locum hunc pulchris versibus describit Silius Poeta Lib. 12. eundemque Plutoni sacrum, & inferorum limen esse rudis vetustas credidit.

In sensu allegorico impii, ut S. Joanni Baptistæ, sunt paleæ ignis inextinguibilis, Luc. 3. ita Hussæo Vati glareæ Cocyti, quibus ut dulcis fuit voluptas hujus sæculi, ita & dulcis erit, ironice, quemadmodum S. Hieronymus explicat, infernus. Paucis, iniquos esse glaream Cocyti, & & cum hoc atro mœstoque flumine ad inferos

feros defluere, eſt illos mitti & ejici *in tenebras exteriores, ubi erit fletus & ſtridor dentium*, Matth. c. 8.

J O B

CAP. XLII. V. 14.

Nomen tertiæ Cornuſtibii.

HUſſæus Vates poſt afflictionem graviſſimam de manu Domini æquanimiter ſuſceptam, ſupra modum a Deo locupletatus tres genuit filias, & vocavit nomen unius Diem, & nomen ſecundæ Caſſiam, & nomen tertiæ Cornuſtibii. Per nomina gradatim aſcendit, ut ipſa nominum impoſitione perpetuum gratitudinis & acceptorum beneficiorum Deo monumentum dedicaret, conteſtans, ſe ex calamitatum tenebris ad lætitiæ lucem, ex fætore ſterquilinii ad odorem inſignis famæ & gloriæ, ex infirmitate ad robur, quod cornu ſignificat, ex egeſtate ad ſummam opulentiam perveniſſe, quam 70. Greci Interpretes ſua verſione nobis metaphorice ſignificarunt, ἀμαλθείας κέρας, Amaltheæ cornu, de quo ſic Olympiod. *Nam Veteres illi Amalthea Cornu ad honorum copiam ſignificandam tranſtulerunt.* Fuit autem Amal-

malthea nomen Capræ illius, cujus lacte Jupiter nutritus dicitur, Adiastes & Idæ Nympharum ministerio & opera; cum autem Capra cornu, quod habebat amplissimum, in objecta fregisset arbore, Nympha id sustulit diversis pomis ac herbis onustum, & ad os ipsius Jovis detulit: is memor accepti a Capra beneficii donavit cornu illud Nymphæ, cujus fuerat Capra, ea virtute imbutum, ut quidquid appeteret, ex eo cornu protinus efflueret. Fabulam hanc Ovidius refert Lib. 5. Fastorum.

Lactantius Lib. 1. cap. 21. ait: Sacra Cretici Jovis ostendere, quomodo sit aut subtractus, aut nutritus Jupiter. Addit sequentia: Capella Amaltheæ Nymphæ, quæ uberibus suis aluit infantem, de qua Germanicus Cæsar in Aratæo carmine:

- - Illa putatur
Nutrix esse Jovis, si vere Jupiter infans
Ubera Cretea mulsit fidissima Capræ,
Sidere quæ claro gratum testatur Alumnum.

Hæc quoad fabulam. Addit hic Nicetas, cum Scriptura cornu-copiæ, aut Sirenum, aut Vallis Titanum, aut Gigantum mentionem facit, tantum utilitatem illis fabulis significatam, non vero falsitatem ullam nobis propinare. Sunt igitur tractandæ, quæ in Scripturis occurrunt, fabu-

fabulæ in morem anethi, quod exſuccum & decoctum projicitur. Utitur hac ſimilitudine Caſſiodorus quoad Origenem legendum. Fuerunt, qui originem hujus fabulæ ad hiſtoriam retulerunt, quorum meminit Olympiodorus hiſce verbis: Alii ad perſuadendum magis dicunt, Amaltheam Capram fuiſſe hoc vocatam nomine, quæ cornu terram effodiens theſaurum retexerit, ibidem antiquitus depoſitum. Caprarium eo potitum ex inope repente divitem extitiſſe; atque ita Amaltheæ cornu ad opimum & beatum ſtatum ſignificandum uſurpari cœpiſſe. Propter hanc pecuniæ inventionem forſan a Philemone Comico ipſa pecunia vocata eſt Amaltheæ cornu:

Putaſne Amalthea cornu eſſe hujuſmodi
Quale depingunt pictores cornu bovis?
Argentum eſt, quod ſi habueris, pete
Ab ipſo, quidquid voles, omnia tibi obtingent.

Nam *pecuniæ obediunt omnia*. Eccleſ. cap. 10. verſ. 19.

In ſenſu phyſico, ut Stobæus narrat, habuit Socrates cornu-copiæ pro ſymbolo induſtriæ & laboris, quod facile omnis generis bona ad illum defluant, velut ex cornu copia, qui eſt ἀμάλθων, hoc eſt, non diſſolutus nec ignavus. Eſt etiam Amaltheæ cornu ſignum illius felicitatis,

quæ ex pietatis & virtutis cultu ſolet provenire, ut Horatius indicavit in ſuo ſæculari carmine, & Lib. 1. car. od. 17.

Senſum myſticum nobis explicat S. Hieronym. Nomen Cornuſtibii competentiſſime Euangelicis copiis, Eccleſiæque divitiis coaptatur, quæ ſpiritualium rerum theſaurus eſt, cornu vero ad inſigne regium & dignitatem Eccleſiæ pertinet, ſicut ait Propheta: *Exaltavit cornu Chriſti ſui*, e quo velut inexhauſto fonte bona cœleſtia & æterna in nos defluxerunt; ut enim S. Joannes ait: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*, cap. 1. Idem inſinuat Olympiod. tunc nos eſſe Cornuſtibii, cum ſpiritualium chariſmatum ubertate complemur, & ad perfectionem properamus.

In morali ſenſu Jobus poſt ærumnas graviſſimas patientiſſime toleratas generans filiam, cujus nomen cornu Amaltheæ, deſignat pariter patientiæ filiam eſſe bonorum omnium abundantiam, cujus fundamentum eſt pacifica animæ poſſeſſio. Hæc vero unde acquiratur, docet nos ipſa veritas: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*, Lucæ 21. verſ. 19. quis autem hujus patientiæ finis ſit, Apoſtolus tradit 2. ad Timoth. 12. *Si ſuſtinebimus, & conregnabimus*. Quæ vero hujus regni felicitas, & quæ in eo bonorum omnium abundantia, adhuc *oculus non vidit, nec*

auris

auris audivit , nec in cor hominis aſcendit , 1. Corinth. cap. 1. verſ. 9.

In ſenſu anagogico , & alio ſenſu allegorico verum Cornu Copiæ nulli magis convenit creaturæ , quam Matri Creatoris : illa in ſe fontem omnis boni , abyſſum gratiarum , & omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ DEI concluſit : *Multa quidem filiæ congregaverunt divitias , hæc ſupergreſſa eſt univerſas . Vix ex illa prodiit Dilectus , quemadmodum Filius unicornium Jeſus Chriſtus amore & odore Virginis illectus , non ſolum quievit Dei ira , ſed fuit pariter erectum cornu ſalutis nobis in tanta bonorum copia , ut iis cœlum & terra ſcaturierint & exultarint* . Audiatur S. Chryſologus ſerm. 140. *Una puella ſic Deum in ſui pectoris capit , recipit , oblectat hoſpitium , ut pacem terris , cœlis gloriam , ſalutem perditis , vitam mortuis , terrenis cum cœleſtibus parentelam , ipſius Dei cum carne commercium pro ipſa domus exigat penſione* . Quod exegit , factum eſt ; nam ut S. Auguſtinus de eadem ait ſerm. 35. de tempore : *Deum hominibus peperit , vitam mortalibus dedit , cœlos innovavit , mundum purificavit , paradiſum aperuit , & hominum animas ab inferis liberavit* . Et ex his conſtat liquido , in nulla unquam creatura fuiſſe plenius & exuberantius cornu copiæ , quam in Maria

vera summi ac veri Jovis nutrice. Fingunt Poetæ Jovis nutriculam inter astra fuisse collocatam, de quo Ovidius:

Sidera nutricem, nutricis fertile cornu
Fecit, quod Dominæ nunc quoque nomen habet.

Facessant e cœlesti firmamento tam monstrosa sidera, & eorum loco succedant longe illustriores Sancti Religionis Catholicæ, ut tam operum quam nominum suorum gloria utriusque poli regionem exornent. Quo splendore inter omnes cœli stellas Christus Matrem nutricem suam charissimam, & omnium nostrum Dominam fecerit eminere, Joannes vidit in Apocalypsi sua cap. 12. *Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim. --- Quidni coronent sidera, quam Sol vestit? Quis stellas numeret, quibus Mariæ regium diadema compactum est? Supra hominem est, coronæ hujus rationem exponere.* Quare præstat illam ritu Harpocratis, id est, silentio venerari.

S.Bernard.

PSAL-

PSALM. LXVII. Vers. 14.

Si dormiatis inter medios cleros , pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri.

UT hic versus melius intelligatur, sciendum, qualem Gentiles Palęstinę imprimis & Syrię populi de columbis habuerint superstitionem. Lucianus Lib. de dea Syria ait: *Columba ex avibus videtur res sanctissima esse, & ne tangere quidem ipsam fas habent; quod si quando inviti etiam attingunt, scelerati & execrabiles illo tum die habentur.* Hinc Martialis Lib. 14. ita canit:

Ne violes teneras praduro dente columbas,
Tradita si Cnidiæ sint tibi sacra deæ.

Ex quo patet, esu columbarum seu pipionum, ut eas vocat Lampridius, interdictum fuisse Mystis Veneris, qui si ministram Veneris avem comedendo violassent, contra jus sacrorum suorum fecissent. Hinc censet Raderus noster in Martialem melius legendum esse: Ne violes teneras *perjuro* dente columbas.

Per columbam deargentatam intellige albam. Sic & Virgilius candidum anserem vocavit:

Atque hic auratis volitans argenteus anser
Porticibus, Gallos in limine adesse canebat.

Et Leander in Ovidium notat Lunam modo candidam, modo argenteam appellari:

Quarto cum radiis fulges argentea puris,
Concedunt flammis sidera cuncta tuis.

Quæ vero columbæ candidi erant coloris, præcipue a Syris in gratiam forte Veneris colebantur, modo pallor auri non defuisset. Hinc Ovidius de sacrificio Veneris Lib. 1. Fastor. ait:

Uritur in calidis alba columba focis.

Et Martialis Lib. 8. ep. 28. Paphias columbas ob candorem Cygnis conjungit. Lucianus in Jove tragœdo ait, columbas cultas esse propter castitatem, cujus signum candor est ab iis specialiter amari solitus & exquiri, secundum illud Ovidii:

Aspicis, ut veniant ad candida tecta columbæ,
Accipiat nullas sordida turris aves.

Potius illas pro incontinentiæ symbolo & exemplo servire dixeris cum Theophylacto, ob lasciviam & immodicam generationis frequentiam, cum decies quotannis pariant, ut Athenæus refert, ideoque ab Ethnicis Veneri sunt consecratæ.

Causæ, cur hæ alites ita sint cultæ, assignantur variæ. Diodorus Siculus ideo ait

ait sacras fuisse has alites, quod Semiramidem Dercetus Syriæ deæ filiam a columbis in deserto educatam crederent. Proinde in grati animi mnemosynon tale venerationis obsequium ipsis deberi. Lucianus ante memoratus hanc adducit causam, quod Semiramis, cum expirasset, in columbam versa putaretur. In quas duas opiniones Justinus Martyr in Orat. Athenag. pro Christianis ita invehitur: *Quidam execrandi & DEO invisi opinionem, quod dii essent, obtinuere. Et Dercetus filia Semiramis mulier petulans, & cædibus contaminata dea Syria existimata est, & ipsius Dercetus causa columbas quoque & Semiramidem Syri colunt; nam, quod impossibile est, fœminam in columbam mutatam esse, apud Ctesiam fabula est.* Forsan bona illa a Gentibus concepta opinio de columba, tanquam symbolo securæ felicitatis, suam traxit originem a Noemi columba tam beatæ pacis nuntia; certum enim videtur, Gentiles aliqua ex vetustissimis historiis cognovisse, & ex relictis quasi in vetusta quadam tabula lineis omnino obscuris aliquid divinasse. Cæterum ex religiosa columbarum veneratione ortum est: 1. Ut Beroso teste ab earum esu abstinerent. 2. Immunes ab omni minimæ læsionis periculo per urbes & campos libere volabant, ut Tibullus canit:

Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes
Alba Palæstino sancta columba viro?

3. Erant compascuæ ipsis Syris, & domos eorum frequentabant, & pascebantur in urbe sacra, uti anseres olim in Capitolio. Hinc non sine fundamento dici posset, inter illos populos symbolum quietæ & securæ felicitatis fuisse pennas columbæ deargentatæ.

Per cleros intelliguntur a S. Hieronym. termini, hostiles scilicet, & a Genebrardo sortes: sic enim ille explicat primam versus partem: Si versemini in præsentissimis & certissimis periculis, qualia sunt, dum de captivorum vita, libertate, fortunis, &c. victores sortem mittunt, eritis quasi pennæ columbæ deargentatæ, id est, liberi & securi. Ex versibus præsentem antecedentibus satis licet colligere, agi hic in sensu allegorico de Ecclesia, de Christo, de Apostolis, *verbum evangelizantibus virtute multa*, Vers. 12. & eos inter summas angustias, adversitates, & pericula, non terrendos a Tyrannis, (habent enim & hoc columbæ, ut etiam captæ niteant eodem colore, statu, & specie) & fore liberos omninoque tutos a fatali saltem ictu animæ, animam enim non possunt occidere, & securos præterea æternæ felicitatis, modo simplices manserint, sicut columbæ.

Sed

Sed quid hoc: *In pallore auri posteriora dorsi ejus?* In sensu literali videtur elaborata fuisse figura columbæ, forsan in templo exposita, cujus pennæ fuerint deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri. Dixi, forsan in templo exposita: nam referente Basso & Pierio Syri in venerationem & gratiam Facelitidis in piscem mutatæ, argenteos pisces in templo religiose posuerunt; an non & columbam eodem modo, in quam credebant Semiramidem esse mutatam? Sed a priori redeundo ad posteriora dorsi ejus in pallore auri; videntur albas inter columbas illæ singularem præ cæteris venerationem & cultum obtinuisse, quæ deargentatæ essent in pallore auri, seu maculis aureis ad speciem saltem variegatæ ad pallentis auri similitudinem: Sic apud Ægyptios bos colebatur pro Numine, non quilibet, sed cui insigne esset in dextro latere candicans macula, similis cornibus Lunæ crescere incipientis. Ita & Syri in iis columbis videntur Deam suam respexisse & coluisse, quę in albis alarum pennis auri splendorem, & Semiramidis monilia referrent.

Notandum hic primo: In columbino candore auri colorem apparere pallidum pro diverso motu corporis, aut colli situ. Sic Nero Cæsar apud Senecam ait lib. 1. quæst. nat. cap. 5.

Col-

Colla Cytheriaca splendent agitata columba.

Secundo, non esse verum colorem aureum & argenteum, qui ad splendorem lucis in eis apparet, ut patet ex subitanea & inconstanti ejus facie & repentino interitu. Hinc idem dicendum de columbæ & iridis specie, de qua Seneca lib. 1. quæst. nat. cap. 6. *Tu dicis illum colorem esse, ego videri*. Per posteriora dorsi caudam columbæ intellige, quæ si candeat, & in modum coronæ erecta hinc & inde moveatur, pro diversa lucis incidentia quandam argenti & pallentis auri speciem videtur exhibere.

In sensu allegorico per columbam significatur Ecclesia. Per deargentatas pennas Judæorum Synagoga, quæ dormivit & quievit inter medias sortes & terminos Palæstinæ in pace & abundantia bonorum temporalium, secura ab hostili gentium invasione, ut columbæ in Syria; sed quam diu unum & solum Deum coleret, non vero, si etiam diis alienis inserviret. At vero quæ in novissimis temporibus futura erat Christi Ecclesia, in pallore auri; tantum enim a Veteri Testamento distat Euangelium, quantum ab argento aurum. Quia, ut S. Bernardus ait serm. 30. in Cant. *Non pari profecto acceptabitur voto umbra & lux, ira & pax, judicium & mise-*

misericordia, figura & veritas, virgo & hæreditas, frenum & osculum.

In sensu tropologico pennæ columbæ deargentatæ secundum Jacobum Vitriacensem D. 7. post 8. Pent. sunt viri sancti: Hi sunt, inquit, velut pennæ columbæ deargentatæ inter medios cleros dormientes; qui ob duplicem gratiam, scilicet actionis & contemplationis, columbini, per studium simplicitatis deargentati, per puritatem locutionis inter medios cleros dormiunt, dum a mundana cupiditate oculos claudunt. Nec quis speret somnum ejusmodi in terra, aut volatum mentis in cœlum, si non corporis & animæ puritatem exquisierit. Hinc bene ait S. Bernard. serm. 4. de duplici adventu: *Omnis penna nostra ad nihilum valet, si non sit deargentata.* Apud eundem S. Patrem alium sensum tropologicum de præsenti textu vide sermone 51. in Cantica.

PROVERB.

CAP. XXVI. V. 8.

Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii, ita qui tribuit insipienti honorem.

IN acervum, hebraice legitur, in margema, quod interpretantur aliqui esse purpuram, alii, ut Septuaginta, fundam, S. Hieronym. acervum Mercurii. Græca versio habet ἑρμαῖον, Hermæum, qua voce comprehendi potest delubrum, statua vel acervus Mercurii, quanquam delubrum ipsas Mercurii ędes significet. Statuę autem illius Hermulę dicuntur vel Hermæ, acervi Hermaces, a Gręco ἕρμακες. Hic proprie fit mentio de acervo vel statua Mercurii. Præses hic erat viarum apud Gentiles, & statua illius tam privatim in ædibus, quam publice in biviis maxime & triviis erat posita. Habebat subinde aliam statuam sibi adjunctam in una basi, quę Hermathenę vocabantur, si Pallas erat socia; vel Hermeraclę, si Hercules erat junctus. Solitariæ Mercurii statuæ frequentiores erant in sepulchris, in fulcris lectorum, in delubrorum & privatorum ædi-

ædium veſtibulis. Figura ſtatuæ quadrangularis erat: ea enim inter quantitatis ſpecies omnino ſolida & perfecta eſt; indicabat hæc præterea, ſicut ipſa in quaſcunque partes cadat, ſtat firma ſemper & recta; ita orationem viri boni & veritatem ſemper ſibi eſſe ſimilem. Mercurius autem creditus eſt deus veritatis & rationis. Scientias pariter primus deorum inveniſſe traditur, & quidem has quatuor, Literas, Muſicam, Palæſtram, Geometriam, & ideo ſervatus illi quaternio. Plutarch. lib. 9. Sympoſ. quæſt. 3.

Materia ſtatuæ ut plurimum erat ex lapide, Thucydidis teſtimonio lib. 6. belli Peloponneſ. ſubinde ex ligno, ſed certo quodam; unde ortum illud proverbium: *Non ex quovis ligno fit Mercurius*. Ovidius Lib. 1. Faſtor. ita canit:

Termine ſive lapis, ſive es defoſſus in agro
Stipes.

Tibullus lib. 1. eleg. 1.

Nam veneror, ſeu ſtipes habet deſertus
in agris,
Seu vetus in trivio florea ſerta lapis.

Lactantius lib. 1. cap. 20. *Et huic ergo ſupplicatur publice quaſi cuſtodi finium Deo, qui non tantum lapis, ſed etiam ſtipes interdum eſt*. Habitus illius Truncus erat ſine corpore apud Græcos & Romanos, vel pectore tenus humano, ut Alciatus pu-

tat,

tat, vel capite & collo, etiam ſine brachiis & manibus. Hinc Mercurius dictus eſt Cyllenius, quod Græce κυλλὸς mancus eſt; forſan ideo, ut conſtaret Deum totum eſſe mentem, vel quod etiam ſine manibus multum poſſit, & præſtet ſermo: hic enim Mercurii filius dictus eſt, eo quod ſermo interpres ſit animi; hoc enim ſignificat ἑρμῆς ab ἐρεῖν. Quod infra ſtatuam erat, ſcripturam aliquam præferebat, ut teſtatur Theocritus: *Triceps dicitur Mercurius tanquam vias docens, ſubſcriptionemque habens quonam hæc via ferat, quo illa; forte etiam ad quamlibet viam caput habebat.* Item Ulpianus Demoſthenis ſcholiaſtes: *Ligna ſeu lapides erant quadrati, Mercurii faciem deſuper habentes; ſubter vero in corporis planitie Epigrammata.* Confirmat idem apud Martianum Capell. lib. 1. de Philolog. Viales Hermæ quadrati fuerunt lignei & lapidei, ſumma parte Mercurii faciem, inferiori plana inſcriptiones viarum præferentes; erant autem hæ: ὅδιος, id eſt, auſpicatus ad iter. Ὁδηγὸς dux viæ. Hinc εὐόδιος, teſte Heſychio, vel ἐνόδιος. A Latinis Deus viarum præſes dictus eſt Viacus. Ab antiquis Judæis Mercolis vel Mercurius, & in ejus honorem ſolebant viatores ad Hermos, ſeu Mercuriales ſtatuas lapides adjicere in tanta copia, quemadmodum Alciatus cen-

ſet,

ſet, ut ex lapidum adjectorum cumulo tantum ſtatuæ ſummitas extaret. Heſychius de iſto cumulo ſic loquitur: Mercurialis acervus ſignificat cumulos lapidum Mercurii, quos in viis coacervabant in honorem dei Vialis. Eadem Suidas cum Phavorino tradit, uti & Didymus in Homerum: *Quid de iis dicam, qui colunt talia, niſi ipſos potiſſimum lapides ac ſtipites eſſe?* Tempore Caroli Magni in Saxonia adhuc veſtigium fuit, (ut volunt aliqui) lapidis erecti in honorem Mercurii; ut Crantzius teſtatur his verbis: *Progreſſus autem cum exercitu victore Carolus venit ad montem Martis; ibique fanum & idolum Gentis, quod Irminſuel appellavere, ſubvertit.* Videtur autem Irminſuel fuiſſe Mercurii ſtatua voce ſemi-græca & Germanica: nam ἑρμῆς Græcis eſt Mercurius. Ita Tetmarus Marſpurg. Epiſcopus, cujus vita incidit in annum Domini 1020. *Lactantius lib. 1. de falſ. relig. c. 20.*

Videtur quidem ſuperſtitio illa de Mercurio certo initium ſuum ſumpſiſſe a Mercurio, ſed qua occaſione, incertum. Phavorinus autumat, inde ortam eſſe, quod ſolitus ſit Mercurius vias elapidare, & commodiores reddere, ſaxis, quæ greſſum impedire poſſent, remotis, & in unum cumulum congeſtis, nec non viatores recti itineris, & viæ regiæ certiores reddere. Aliam cauſam affert Anticlides, cujus me-

mi-

minit Didymus Odyff. 1. in fine: fcilicet inde confueviffe Gentiles lapides congerere in honorem Mercurii, quod ipfe ob interfectum Argum Centoculum a Junone citatus fit ad judicium quidem; fed cum necem Argi ex Jovis imperio factam effe dii intelligerent, abfolutus fit, ita ut dii judices omnes calculos fuos tam atros quam candidos ad pedes Mercurii projecerint: & hinc ait enatam effe confuetudinem, ut quos in via media inveniffent lapides, ad latus in cumulum coacervarent honorandi Mercurii gratia. Phornutus alias acervorum originationes congerit. Accumulant Mercuriis lapides: quicunque enim illac præterit, unum adjicit, five tanquam utile quid faciens, quodque omnium communiter interfit, dum via purgatur; five obteftans Mercurium, aut ut venerationem ipfi exhibeat, fi nihil præterea habeat, quod ei offerat; five ut Mercurii collocationem prætereuntibus faciat manifeftiorem, aut innuat ex modicis partibus orationem conftare. Prima Hieronymo Aleandro videtur melior: ut enim fus Cereri, Baccho hircus mactatur, quia hic vitem lædit, ille fegetes; ita Mercurio viarum præfidi ftruem erigebant faxorum, quæ per vias fparfa impedimento videntur effe itinerantibus.

Salomon in præfenti capite fatis innuit, quam

quam inutilis & inconveniens hic mos fuerit Gentilium honorandi ſtatuas Mercurii, paſſim in biviis maxime & triviis poni ſolitas. Jure illas omnes e viis publicis & e conſpectu oculorum ſuſtulerunt Chriſtiani, ut Prudentius teſtatur 2. in Symmachum:

– – – Lapis ille
Si ſtetit antiquus, quem cingere ſueverat error
Faſciolis, vel gallinæ pulmone rigare,
Frangitur, & nullis violatur terminus extis,
Et quæ fumificas arbor vittata lucernas
Servabat, cadit ultrici ſuccisa bipenni.

Econtra earum loco imagines Crucifixi, ſcilicet Cruces ſunt collocatæ. Qui mos fuit in Eccleſia antiquiſſimus, & illo tempore maxime frequentatus, quo, invaleſcente Fidelium numero, cœpit idololatria ſuccumbere; ubi enim rerum potiti ſunt Chriſtiani, conſueverunt ea loca, quæ ſuperſtitionum ſordibus contaminata erant, prius Cruce expiare, & erecto Crucis titulo dedicare, antequam ad uſum ſuum applicarent. Nec in ædibus & templis ſolum, ſed in viis etiam publicis ſignum illud proſtabat, ut teſtatur S. Chryſoſtomus in Orat. quod Chriſtus ſit Deus: *Crucem celebrari videre licet in viis*. Idem confirmat Nicetas in Ignatio Conſtantinopoli ad æ- *In oratione de inventis*

reliquiis S. Euphemiæ. dem S. Gregorii Theologi Crucem in publica via marmoreæ columnæ fuisse impositam. Et Constantinus Episcopus Tii Paphlagoniæ refert, ab Iconoclasta Copronymo *dejectas esse Cruces, quæ in triviis fidei convenienter figebantur*. Tum, ut loca prorsus omnia ethnica impietate expiarentur, a veneficiis & illusionibus dæmonum fierent immunia, tum *ut his* (Crucibus scil.) *assidue perspectis memores simus & non obliviscamur Domini Dei nostri*.

Leontius l. 5. contra Judæos apud Damascenum orat. 3. de imag.

Hanc tam sacram Crucifixi memoriam per erectas passim Cruces excitari, non passi sunt antiqui, non patiuntur recentiores hæretici; ut Severiani, Constantinus Copronymus, Leo Isauricus, Julianus Apostata, irridens Christianos, quod lignum Crucis venerarentur. Mercerus hæreticus, fidelis Iconoclastarum assecla, in præsentem versum scribens ait: Veteres Hebræi margema accipiunt pro simulacro Mercurii, quod ex magna lapidum mole factum esset, quo sensu vulgatus Interpres vertit acervum Mercurii; qualis est imago Christophori, quæ magna mole lapidis in nostris templis alicubi cernitur. Quam inscite, tam impie. Idem ait Theodorus Beza in præsentem versum, qui imagines Crucifixi sacrilego audet vocabulo afficere, & immania Christi idola appellare. Dolet hic eadem a Lutheranis adhuc con-

ser-

servari *in plerisque*, ut ait, *non tantum templis, urbibus & pagis, sed & in agris;* ita ut Copronymi alicujus aut Juliani anima ex inferorum sedibus egressa in hunc Calvinistam immigrasse videatur.

Sensus tropologicus satis clare in versu patet, scilicet nihil esse inutilius, & magis indecorum, quam insipientem honorare: ut enim statua non sentit honores sibi oblatos, ita nec illos stultus aestimat. Hinc bene Juvenalis eum Mercurii statuae comparat:

- - - Truncoque simillimus Hermae,
Nullo quippe alio vincis discrimine; quam quod
Illi marmoreum caput est, tua vivit imago.

In sensu allegorico dici potest, eos in Ecclesia esse acervos Mercurii, qui ad Ecclesiasticas dignitates indigni promoventur: sunt enim in templis quasi aureae & argenteae statuae omni doctrina & pietate vacuae, de quibus B. Petrus Damiani L. 1. Ep. 8. ad Alexand. II. Rom. Pontificem ita scribit: *Insipienti honor tribuitur, cum ad Ecclesiastici gradus apicem non Deo sed pecuniae deditus promovetur.*

LIB. SAPIENTIÆ

CAP. XI. V. 16.

Quidam errantes colebant mutos ſerpentes, & beſtias ſupervacuas.

PEr ſerpentes videntur dracones intelligi, vel alii majores aſpides, ſub quorum ſpecie quam libenter diabolus lateat, & homines decipiat, in Paradiſo oſtendit. Alibi dictum eſt de Æſculapio grandi illo ſerpente Epidaurio. Veriſimile eſt, ab Ethnicis, præſertim incolis accoliſque Arabiæ Libyæque, quæ magnam ſerpentum copiam nutriunt, ideo cultos fuiſſe ſerpentes, ut a lethiferis eorum ictibus immunes poſſent fieri. Innotuerit illis etiam vis & efficacia ſerpentis illius a Moyſe in deſerto erecti, cujus intuitu, qui ab ignitis ſerpentibus læſi erant, ſanati ſunt. Judæos certe ſerpentem illum cultu idololatrico veneratos fuiſſe Liber Reg. 4. teſtatur c. 18. v. 4. Herodotus l. 2. in Euterpe c. 74. ait: *Circa Thebas ſunt ſacri ſerpentes nihil omnino hominibus noxii, puſillo corpore, binis præditi cornibus e ſummo vertice enatis, quos defunctos in Jovis æde ſepeliunt; huic enim Deo ſacros illos eſſe prædicant.* Ad-

Additur *mutos ſerpentes*; hoc enim eſt proprium animalium Epithetum, Græce ζῶα ἄλογα, quæ & rationis & veri ſermonis ſunt expertia. Fuerunt, qui putarint, ante Adami peccatum animalia inter ſe fuiſſe collocuta, ut Baſilius; & Euſebius de Platone refert, eum cenſuiſſe loquelam brutis fuiſſe ſæculo aureo. Sed improbatur communiter hæc ſententia & rejicitur. Hinc merito Joſephum reprehendit Abulenſis aſſerentem, naturale fuiſſe ſerpenti Evam tentanti intelligere & loqui; ſed iratum Deum vocem illi ademiſſe, & venenum linguæ ejus indidiſſe. S. Bonaventura cenſet ſerpentes dici mutos ex comparatione illius ſerpentis, qui Evæ locutus eſt.

Et beſtias ſupervacaneas, Græce κνώδαλα ἐντελῆ, id eſt, beſtiolas viles. κνώδαλον enim ſignificat animalia omnis generis tam terreſtria, quam aquatica & aeria, qualia Ægyptii ſolebant colere; de quibus ita Epiphanius in Anchorat. *Ægyptii omnibus amplius errore involuti non ſolum proprios affectus coluerunt; ſed etiam volatilia, & quadrupedia, terreſtria & aquatica, & quædam animantia fera, & quæ ipſis in ſervos a Sancto Deo tradita, eorum ordinem alteraverunt, & velut qui mente bruti ſunt nimium, colunt animalia, deificare ipſa non erubeſcentes.* Hucuſque ille. Qualia

vero illa fuerint, alibi modo dictum est, Talia certe fuerunt, ut eorum religio propterea aliis, præsertim Romanis, vilis visa sit & abjecta. Hinc Virgilius l. 8. Æneid. ait, fuisse apud eos monstra omnigenum deorum. Fuit quidem subinde cultus deorum etiam Ægyptiorum Romæ admissus, ut Lucretius testatur l. 8.

Nos in templa tuam Romana accepimus Isin,
Semideosque canes, & sistra jubentia luctus.

Sed postmodum visa est Romanis tam absurda Ægyptiorum superstitio, ut prohibuerint eorum deos delubris suis inferri; ait enim Tertul. in suo Apologetico, Serapidem, & Isidem, & Harpocratem cum suo Cynocephalo prohibitos Capitolio inferri; id est, deorum numero pulsos; imo, ut testatur Valerius Maximus, jussit Senatus deorum Ægyptiorum fana dirui; & cum Opificum nemo auderet ea attingere, ipse L. Æmilius Paulus Consul executus est: quod Joan. Biss. hoc disticho expressit:

Impleat ut Paulus Patrum decreta, securi
Proscindit postes Isidis atque viri.

Videntur tamen hic indicari animalia viliora ab Ægyptiis, aliisque coli solita: ut ca-

canes, feles, anguillæ, ichneumones, scarabæi, sues, mures, aranei, & muscæ, qui tamen ab iis deorum loco sunt habiti, & Divino cultu fuere affecti. Non sine justa mercede: ut quæ credebantur fore media ad salutem, vero Deo sic ordinante, punitionis & vindictæ facta sint instrumenta. Per serpentem seducta peccavit Eva, nec ipsa solum, sed & tota ejus posteritas per eundem vexatur, & ad extremam perniciem quæritur. Vere Rupertus in c. 2. Joannis: *Plerumque ea, in quibus peccamus, fiunt flagella peccantium*. Per cultum animalium etiam vilissimorum Ægyptus deliquit, per similia, ut locustas, ranas, ciniphes, & muscas a Deo per Moysen fuit castigata. Ut bene notavit Sapiens: *Immisisti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam, ut scirent, quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*.

SAPIENTIÆ.

CAP. XII. V. 4.

Quoniam odibilia opera tibi faciebant per medicamenta.

OMnis fere idololatria ab Astrologia, Philosophia, & Arte Medica suam

traxisse videtur originem: abstrusas enim cognitiones & occultarum rerum notitias hæ scientiæ continent, quibus se dæmon solet immiscere; ut intellectum nimia curiositate seductum etiam ad eorum notitiam alliciat, quæ non nisi ope dæmonis sciri possunt. Plinius l. 30. c. 1. expressis verbis ait: *Artem magicam natam primo e medicina nemo dubitat, ac specie salutari irrepsisse velut altiorem sanctioremque medicinam*. Primum Medicinæ inventorem Apollinem Gentiles credidere tam Græci, quam Latini; sic enim Ovidius de se loquentem proponit:

Inventum medicina meum est, opifexque per Orbem
Dicor, & herbarum subjecta potentia nobis.

Quid? Quod ab ipsis deorum oraculis, hoc est, dęmoniorum responsis, sæpe sæpius petita sunt medicamenta, ut Plinius testatur l. 29. c. 1. Eo certe deventum est in hac scientia, ut crederent aliqui ejusdem artificio etiam vivum hominem posse fieri. Julius Camillus homo fide dignus asserit, ab amico suo per allembicum formatum fuisse infantem, qui ad aliquot horarum spatium vixerit. Sed vere vixisse, est incredibile. Ab Æsculapio artis medicæ fama celeberrimo Minois filios ab Atheniensibus occisos, fuisse suscitatos antiquitas credi.

didit, cui Q. Serenus Sammonicus allusisse videtur.

Tuque potens artis reduces qui tradere vitas
Nosti, atque in cœlos manes revocare sepultos:
Qui colis Ægeas, qui Pergama, quique Epidaurum.

Et Propertius:

- - *Extinctum Cretis Epidaurius herbis*
Restituit patriis Androgeona focis.

Sed ejusmodi opera vere non contigisse, sed ad speciem tantum per illusiones & præstigias dæmonum, nemo Catholicorum est, qui dubitet. Cæterum per medicamenta hic Interpretes intelligunt etiam maleficia & venena, quibus alios homines inficiebant Chananæi & necabant; quæ certe opera erant Deo odibilia. Observandum interim, periculosum esse inordinatum res quascunque occultas indagandi & cognoscendi desiderium studiumque; cum talium hominum ingeniis non raro abutantur maligni spiritus, ut evanescant in cogitationibus suis, se præ aliis sapere judicent, dubitent de mysteriis fidei, perperam interpretentur miracula, irrideant simplices, in Deo minus confidant, in hæresin denique aut Atheismum delabantur. Et hic unicus finis est doctrinæ illius, quæ per ni-

mi-

miam curiositatem, adjutore diabolo comparatur.

LIB. SAPIENTIÆ

CAP. XII. V. 5.

Filiorum suorum necatores sine misericordia, & comestores viscerum hominum, & devoratores sanguinis a medio sacramento.

DE hac crudeli consuetudine immolandi filios ita canit Silius L. 4.

Mos fuit in populis, quos condidit advena Dido,
Pascere cæde deos veniaque flagrantibus aris,
Infandum dictu! parvos imponere natos.

Pescennius Festus apud Lactantium per Satyram refert L. 1. c. 21. Carthaginenses Saturno humanas hostias solitos immolare. Et Tertul. adversi Gnosticos: *Scytharum Dianam, aut Gallorum Mercurium, aut Afrorum Saturnum, hominum victima placari apud seculum licuit.* Præsertim cum per oraculum Delphicum esset indicatum, nihil posse diis gratius offerri, quam hominem, vel lumen; & sic facta est superstitio paganorum, artificium necandi homines,

nes, ut videretur sic dæmon velle delere humanum genus universum. Hinc prodiit mos, usurpatus a parentibus in Africa, immolandi infantes suos. Ita Menech occisus fuit a Creonte patre suo, & misera Iphigenia oblata per Agamemnonem ad placandam iram deæ, Græcis offensæ. Sic Erichtius sub prætextu boni publici in victimam destinavit suam filiam: sic & prisci Druides, Lacedæmonii, Rhodii, Scythæ, Athenienses deos suos sanguinarios colebant, qui non nisi latrociniis & carnificina humana placabantur. Lib. Reg. 4. c. 3. v. 27. refertur, quod Rex Moab in summis angustiis constitutus, extremo usus medio, filium suum proprium, primogenitum & regni sui hæredem immolarit, sperans deos suos insigni adeo & electo holocausto placandos, & tam murum, quam urbem defensuros. Porphyrius tradit, fuisse in more positum apud Reges Phœnicum, ut ad summas redacti angustias rem sibi charissimam, v. g. filium, deo suo immolarent. Testatur idem Eusebius l. 4. de præp. Euang. c. 7. quod eundem ritum placandi deum Carthaginenses de Phœnicibus oriundi observarint.

Non sane verus Deus voluit aut desideravit unquam litari sibi humano sanguine, quamvis sit supremus vitæ mortisque Dominus. Hinc licet Abrahamo immolatio-

nem

nem proprii filii imperarit; imperii tamen executionem fieri vetuit, sola parentis obedientia contentus. Econtra volupe fuit dæmoni videre, quod parens non nisi invitus faceret: & Diana dicitur lentis tractibus Iphigeniæ sanguinem sorbuisse; dum Agamemnon averteret caput præ horrore, quem ei natura ingerebat ad tam lamentabile spectaculum.

Jud. c. 11. *v.* 40. Potuit historia Jephtæi Ducis filiam suam immolantis occasionem aliquam præbuisse Ethnicis instituendi ritum tam crudelem: quemadmodum mos ille per se indifferens plangendi filiam Jephte per annos multos a Judæis continuatus, pro nova idololatria diabolo servivit. Tradit enim Epiphanius Sichemitas & Samaritanos Jephte filiam retulisse in dearum numerum, & solenni quotannis sacrificio coluisse. Porro infantium sacrificia ita offerri debebant, ut nisi libenter fuissent immolata, a diis rejicerentur. Et qui offerebantur, & qui offerebant, sive mater filium, aut alius amicum suum charissimum daret in victimam, nec lacrymas fundere, nec ullum aliud tristitiæ signum audebant præseferre. Hinc Plutarchus de superstitione ait: Eum, qui filios non habebat, emisse victimas liberorum ea lege, ut adstaret mater sacro rigida & absque gemitu; si enim ingemuisset, jacturam faciebat & honoris & filii,

Imo

Imo parentes ipsi blandiebantur pueris, ne lacrymarentur: *Quos quidem*, ait Tertul. in Apolog. c. 9. *ipsi parentes sic offerebant, & libenter exponebant, & infantibus blandiebantur, ne lacrymantes immolarentur*. Idem confirmat Minutius Felix: Merito ei (Saturno) in nonnullis Africæ partibus a parentibus infantes immolabantur, blanditiis & osculis vagitum comprimentibus, ne flebilis hostia immolaretur. Redarguit jure Seneca crudelitatem Caji in hoc, quod impediret etiam violenter, quominus ii, quos cruciari jubebat, vocem flebilem aut lamentum aliquod possent emittere: *Cui unquam morituro non est relictum, qua gemeret? - Cum spongiæ non invenirentur, scindi vestimenta miserorum, & in os farciri pannos imperavit: quæ ista sævitia est?* Multo major, & in ipsam injuriosior naturam fuit Diaboli immanitas exigentis, ut spectarent parentes fundi sanguinem filiorum suorum, nec dolerent quidem; conscindi viscera, nec suspirarent; comburi flammis, nec lacrymam affunderent. Quis crederet, inveniri posse, qui Tyranno tam truculento adhuc servirent? Et tamen non e Gentibus solum, sed etiam e Judæis, electo Dei populo, fuerunt, qui tam abominandum ei præstarent obsequium; cum tamen sacrificia tam horrenda ne cogitaverit quidem unquam Deus

ab

ab eis habere; ut ipse per Jeremiam testatur cap. 19. v. 5. *Ædificaverunt excelsa Baalim ad comburendos filios suos igni in holocaustum Baalim, quæ non præcepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum.* Summum, quod potuit bonitas Dei infinita in præsenti materia, fuit, ut tentaret tantum Abraham ad immolandum sibi filium suum: & quantum eidem præstitit pro sola tantum voluntate & obedientia? Nonne in semine ejus omnes sumus benedicti? Ubi econtra Dæmon præter orbitatem filiorum temporalem, maledictionem reddit sempiternam. Verbo, tantum abest, ut Deus noster sanguinem humanum sitiat, aut illorum filios sibi immolari desideret, ut ipse potius Filium suum unigenitum in mortem tradiderit pro salute hominum.

Et comestores viscerum. Possunt hæc verba intelligi, non solum de Epulo humanarum carnium & viscerum in sacrificio; sed etiam in profano convivio. Verba sunt Alexandri ab Alexand. *Essedonum traditur mos, ut parentum funera cantibus prosequantur, mox cœtibus propinquorum advocatis, quod dictu audituque fœdum est, ipsis cadaveribus immistis ovillis carnibus vescantur.* Id quod ab Indis & Massagetis usurpatum ferunt, quorum propudiosa immanisque natura est: nam senio confectos

Genial. dier. l. 3. c. 2.

in

in frusta cædere, illorumque carnibus immistis pecudibus vesci assuevere. Idem apud Dervices Persicam gentem cum Hibernis efferatis hominibus commune fuit; ut parentes & affines, qui succubuere, comesse pietatis maximæque honestatis munus putarent. Tertul. Tract. Apologet. adv. Gentes: *Ajunt & apud quosdam Gentiles Scytharum defunctum quemque a suis comedi*; quasi dignissimus sit aliorum loculus humanum corpus atque cognatum. Idem Plinius tradit lib. 7. cap. 2. Petronius in Satyr. refert: *Apud quasdam Gentes scimus adhuc legem servari, ut a propinquis suis consumantur defuncti, adeo quidem, ut objurgentur ægri frequenter, quod carnem suam faciant pejorem*. Quis non hic jure exclamet cum Sulmonensi Vate:

Pro quantum scelus est! in viscere viscera condi,
Congestoque avidum pinguescere corpore corpus.

Sic scelestam esse calumniantur Calvinistæ Religionem illam, quæ docet, fideles in communione fieri anthropophagos; sed tantum abest, quod propterea turbentur Catholici, ut oporteat inde lucem fidei nostræ illustriorem reddi, & ardorem charitatis vehementius inflammari. Hæc enim calumnia est recantata Ethnicorum contra Christianos fabula: quis enim neget subaudiisse

diisse saltem eos aliquid de cœna Domini, & fidelium communione? Quis Gentilium vel somniare potuisset, in fractione panis carnem Christi a fidelibus manducari? si de hoc mysterio vel a fideli Christiano, vel apostata nihil percepissent? In hoc cum Capharnaitis errarunt, quod Corpus Christi mactari, dividi, & inter fideles more aliarum carnium distribui, similiter sanguinem ejus bibi putarint. Hinc Tertul. Apolog. cap. 7. ait: *Dicimur sceleratissimi de Sacramento infanticidii, & pabulo*. Cæcilius quoque apud Minutium ait de Christianis: *Infans-farris superficie occiditur, infantis sanguinem sitienter lambunt, hujus certatim membra dispertiunt, hac fœderantur hostia*. Et Athenagoras in Apologia pro Christianis: *Trium flagitiorum rumor de nobis spargitur: Impietas, qua deos tollit, Epulæ Thyestææ, concubitus incesti:* ideo enim credebant fieri communes Agapas, & antelucana Catholicorum in Cryptis conventicula institui. Sed quantum per hanc falsam Gentilium opinionem veritas Catholicæ fidei stabilitur, tantum illa cruentam ejusmodi manducationem damnat, rejicit, execratur, melius a Spiritu S. edocta, verum Christi Corpus totum & integrum modo prorsus admirabili a fidelibus manducari.

Et devoratores sanguinis a medio Sacramento. Moris fuit apud Gentiles aliquos, dif-

diffuso humano sanguine fœdera jungere, quod expressit Tertul. in Apolog. cap. 9. *De sanguinis pabulo, & ejusmodi tragicis ferculis legite necubi relatum sit (apud Herodotum opinor) diffusum brachiis sanguinem ex alterutro degustatum nationes quasdam fœderi comparasse*. Lucius Florus de Catilina lib. 4. cap. 1. *Additum est pignus conjurationis sanguis humanus, quem circumlatum patenis bibere; summum nefas, nisi amplius esset, propter quod biberunt*. Tacitus lib. 12. Annal. ait: Mos est Regibus, quoties in societatem coeunt, amplificare dextras, pollicesque inter se vincire, nodosque perstringere; mox ubi sanguis in artus extremos se effuderit, levi ictu cruorem eliciunt, atque invicem lambunt. Id fœdus arcanum habetur, quasi mutuo cruore sacratum. Mela lib. 2. c. 1. de Axiacis refert: Sauciant se, qui paciscuntur, exceptumque sanguinem, ubi permiscuere, degustant. Id putant mansuræ fidei signum certissimum.

Inter cætera nefanda opera, quæ Chananæi commiserant, & hoc erat, quod in contrahendis fœderibus humanum sanguinem biberint, adjuncto sacramento deos suos in testes vocando. Hinc recte Sà interpretatur illud: *A medio sacramento*, interposito sacramento; ut sensus sit: Perdere voluisti filiorum necatores per sacri-

ficia confectorum viscerum hominum, seu defunctorum patrum, epulones & devoratores sanguinis a medio sacramento, dum fœdera paciscerentur.

LIB. SAPIENTIÆ

CAP. XIII.

ut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut Gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut Solem & Lunam rectores Orbis terrarum deos putaverunt.

L. de natura deorum.

IGnis duplex est, cœlestis & terrestris; ille, ut Cicero ait, est corporeus, vitalis & salutaris, conservans omnia, alens, sustentans, & sensu quodam afficiens; hic noster sublunaris est confector omnium, & pariter consumptor. Utrumque ignem ob utilitatem maximam venerati sunt Gentiles sub Vestæ & Vulcani nomine. Etiam sub Jovis titulo ignem subinde Veteres voluerunt significari; quemadmodum pro aere Junonem intellexere; unde etiam aerem ob viciniam cum igne cælesti Jovis sororem esse sunt fabulati, & nescio quos incestus ob commixtionem aeris cum igne finxerunt. De divino ignis cultu alibi satis.

Aut spiritum ; qui totum Universum permeat, & movet, quidquid in eodem agitatur. Censuit Plato, Mundum corpus esse, spiritum vero & animam mundi Deum, secundum illud Virgilii:

Spiritus intus alit, totumque infusa per orbem
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Potest etiam per spiritum Ventus intelligi; nec mirum est, eum ab Ethnicis in deorum numerum relatum; cum plurima illius flatu in hunc mundum proveniant beneficia, quæ apud Senecam invenies lib. 5. Nat. quæst. cap. 18. Apud Giraldum pariter & alios leges, multis & exemplis & testimoniis probatum, Ventos hymnis, thure, templis, altaribus, simulacris & sacrificiis fuisse cultos. Romanus Sapiens lib. 5. Nat. q. cap. 17. testatur, incolas Galliæ Circio licet ædificia quassanti, tamen gratias egisse, tanquam salubritatem cœli sui debeant ei; & Augustum, cum in Gallia moraretur, templum illi & vovisse & fecisse. Typhonem quoque Gentiles coluere. Terribilem ejus formam lib. 1. Apollodorus describit; vim vero ventorum sub Typhonis nomine videntur fuisse reveriti; si non ut prodesset, saltem ne noceret. Sensum ejus historicum, allegoricum, physicumque vide apud Kircherum in Oedip. Ægy-

ptiaco Syntag. 3. de orig. idolol.

Præsidem Ventorum Æolum finxere: Notat Plinius, hunc rationem ventorum invenisse; & cum ex nebulis consurgentibus, vel, ut alii volunt, ex ignis diligenti observatione futuros ventos ac tempestates prædiceret, creditus est ab imperita multitudine eos in potestate sua habere, imperioque suo premere. Ita Servius ex Varronis sententia, & Strabo. Sunt, qui eum volunt Astrologum fuisse, quod nosset tempora, quibus flare venti & possunt & debent; ideoque ventorum deum existimatum.

Alii ventum interpretantur annum, & 12. ventos 12. ejus filios. Ut autem venti omnes pro diis sunt habiti, ita & singulis, tum iis, qui mundi cardines obtinent, tum inde ortis, (quorum omnium triginta duos statuunt Navarchi communiter) tanquam diis sacra peculiaria fuerunt facta. Exemplum aliquod refert Apollonius Rhodius lib. 4. de Medea, quod ventis maxime odorifera & suavia obtulerit sacrificia:

Tantum effata leves mulcentia pharmaca ventos
Ætheraque inspersit, procul illa e montibus altis
Deduxere feram silvestrem, quo illa cupivit.

Aut aerem citatum. Duplicem Veteres aerem statuerunt, masculum & fœminam. Ana-

Anaximenes imprimis & Diogenes Apolloniates, ut videre est apud Ciceron. lib. 1. de nat. deor. & Deum esse censuerunt generabilem, immensum, infinitum & semper in motu. Vulgo sub Dianæ nomine cultus est; & Artemis, ut Theodoretus explicat, ἀεροτόμος, id est aerisecа, quod per aerem pergens eum secet, est vocata. Præcipue tamen Gentiles sub Junonis nomine intellexerunt & coluerunt aerem. Hinc Græci Junonem vocant ἥραν, & Plato imprimis in Cratylo: Zenon quoque apud Minutium Felicem Junonem aera interpretatur. Quæ vox cum Græca voce ἀὴρ magnam habet affinitatem. Macrobius in somn. Scipionis cap. 17. ait: Juno aeria cognominata est, quod ipsa aer putaretur, & aeris arbitra. Fabulati sunt illam Jovis sive ignis (ut supra dictum) sororem esse, & hinc sicut illum cœli regem, ita hanc cœli reginam dixere. Ignis enim & aer sublimiorem mundi partem cum majori virtute in res terrenas agendi possident, quam duo cætera Elementa. Hinc etiam actiones & passiones, quæ de Jove & Junone finguntur, nihil aliud sunt, quam variæ aeris affectiones & operationes, quas vel habet cum æthere supra se, vel cum terra infra se. Exemplo res fiet clarior, quomodo naturas rerum sub fictis nominibus, quasi deos, Gentiles coluerint.

Coloniæ porta quædam civitatis dicitur **Erenport** *olim Heræ sive Junoni dedicata.*

Juno fingitur fratrem habuisse Jovem, cui nupta fuit: per Junonem aerem intellige, per Jovem igneum ætherem, per nuptias commixtionem calescentis ætheris cum aere. Dicitur Juno habere potestatem timoris & audentiæ: quia aer multum confert ad humorum temperiem, consequenter ad passiones dictas. Nata est Juno in Samo insula: ibi enim aer est saluberrimus. Educata est ab Oceano & Thetide: aquæ enim maris rarefactæ aerem pariunt & augent. Ex Jove Vulcanum Juno edidit: quia aer ætheris beneficio calefactus fulgurum & fulminum ignes generat. Vulcanus a Junone ob deformitatem in terram dejectus est: quia ignis in spissis nubibus genitus, & ob antiperistasin agens fortius, conatur quidem sursum ferri, & ad purum æthera eluctari; sed, cum impurus sit, nec etiam sufficientem materiam habeat, (ut observat Seneca) violenter retroagitur, & Vulcani ad instar cruribus fracti in terram dejicitur. Habuit præterea Juno duas proles, Heben, & Martem: quod aer valde calidus causet tempestates, & bene temperatus ubertatem, quæ etiam non raro litium mater est. Fingitur vero Juno Heben genuisse, quando fuit in domo Apollinis lactucas comedens. Postquam vero Hebe Jovi ad tempus ministrasset, & lapsu coram eo fuisset denudata, ab eodem reje-

L. natur. quæst.

rejecta est, & in locum ejus assumptus est Ganymedes. Hoc est: aer tunc dicitur ubertatem generare, quando incalescit, & simul frigori permiscetur, ita ut fiat corruptio, quam sequitur generatio. Inde nascitur Hebe præses floridæ juventutis, animalium, plantarum, arborum, &c. quæ dum temporum succedentium injuria foliis denudantur, perit quasi juventus naturæ & decor, & instar Hebis rejicitur. Succedit Ganymedes, id est hyems; nam ipse in Aquarium conversus est, sub quo signo hyemis dominium est. Simili ratione de rebus naturalibus explicari possunt aliæ fabulæ, v. g. Cereris & Proserpinæ, &c. Sic Arnobius ait lib. 5. circa finem, quod per Jovis & Cereris conjunctionem irrigatio sit significata telluris. Et alio loco ejusdem libri ait: Quod, dum Gentilis peritior de adulterio Jovis loquitur, Jovem pro pluvia, pro tellure Cererem nominat; vel dum incestus meminit, nihil de fœdis voluptatibus loquitur; sed pro imbris nomine ponit Jovem, in filiæ significatione sementem, &c. Jure autem redarguit ibidem Arnobius Gentiles, quod res naturales per nomina tam obscœna, & quidem diis eadem attribuendo, voluerint significari: *Ita non advertitis? Non videtis? quanta istud dicatur & cum ignominia fieri, contumeliaque divorum? An in-*

juria gravior ulla potis est reperiri, quam terram & pluviam, vel quodlibet aliud, (nihil enim refert, qua fiat interpretatione conversio) Jovis & Cereris dicere atque appellare concubitum? & cum deorum criminibus labem imbris e cœlo, & telluris significare madorem? Nonne millies optatius fuit, elinguem fieri, atque mutum, atque scaturiginem istam vocis & strepitum fœda loquacitatis amittere, quam deorum nominibus res appellare turpissimas? quinimo turpibus deorum factis negotia significare vulgaria? Hucusque ille.

Similiter Gentiles sub nomine Saturni, Osiridis, Asthartes, Vestæ, Isidis, &c. Cælum, Solem, Lunam, Æthera, Aerem, Ignem, Terram, & cæteras creaturas pro diis habuerunt & honorarunt. O quam vere lib. de incarnat. ait S. Athanasius: *Mirum est, quod nihil ex rebus creatis errabat in Numine intelligendo, præter solum hominem; non Sol, non Luna, non cœlum, non astra, non aqua, non æther immutant suum ordinem; sed agnoscentes suum Opificem & Principem rationem, Verbum Dei, eo tenore permanent, quo condita sunt: soli autem homines aversi ab illa statione veritatis, iisque, quæ non erant, effectis, Dei honorem ac ejus cognitionem dæmonibus & hominibus in lapide effigiatis dedicaverunt.*

Aut

Aut Gyrum ſtellarum. Sive Zodiacum, qui eſt ſignifer & circulus obliquus. Inter circulos ſphæræ majores alios, coluerunt Æquinoctialem ſeu Æquatorem, utrumque meridianum, horizontem, qui cum ſit maximus, merito Gyri nomine indicatur.

Aut Solem, aut Lunam. De his dictum alibi. Euſebius citans Platonem in Cratylo lib. 3. de præp. Evangel. cap. 1. ait: *Vetuſtiſſimos Græcorum cœlum, ſtellas, Solem, Lunam, quæ nunc etiam multi Barbarorum colunt, deos putaviſſe manifeſtum eſt. Quid mirum*, ait Lactantius, *ſi aut barbari aut imperiti homines errant; cum etiam ipſi Philoſophi Stoicæ diſciplinæ in eadem ſint opinione, ut omnia cœleſtia, quæ moventur, in deorum numero habenda eſſe cenſeant?* Sane Gentiles, cum viderent Chriſtianos Orientem verſus orare, cenſebant illos communem ſecum Deum, Solem ſcilicet, habere & adorare, ut Tertul. refert in Apolog. c. 16. *Alii plane humanius & veriſimilius Solem credunt Deum noſtrum*. L. 2. c. 5.

Aut nimiam aquam, hoc eſt, Thetin, vel Neptunum ejus maritum, tridente armatum. Uti Heraclitus cenſuit omnium rerum principium fuiſſe ignem, Democritus atomos, Pythagoras numerum, teſte Ariſtotele lib. 1. Phyſ. Ita Thales aquam

ſic

ſic dictam, a qua omnia fierent. Ab Ægyptiis aquas fuiſſe adoratas, teſtatur Athanaſius lib. 2. de incarnat. Verbi, ab Alemannis, Agathius lib. 1. & 2. hiſtor. a Perſis, Arnobius lib. 6. contra Gentes, ab hæreticis Ebionæis, Damaſcenus de hæreſibus, ab Ægypto, Veteres paſſim, quæ tamen videtur non tam coluiſſe pluvias ſeu aquas cœli, quas parum curabat, quam illas, quas ſinu ſuo complectitur; quare Claudianus de eadem canit: Epig. 6.

Ægyptus ſine nube ferax, imbreſque ſerenos
Sola tenet, ſecura Poli, non indiga venti,
Gaudet aquis, quas ipſa vehit, Niloque redundat.

Eundem vero pro Deo habitum, & etiam ſub alio nomine Canopi cultum fuiſſe, Abenephius Arabs teſtatur hiſce verbis: *Et adorabant eum veluti Numen, quod præſidet mari, fluminibus, & toti humidæ naturæ, & vocaverunt eum nomine fluminis Nilum.* Addit Kircherus noſter: Veriſimile eſt, unumquemque Ægyptiorum in domo ſua ſaltem vaſculum aliquod habuiſſe, quo exceptas ſacri Nili aquas veneraretur.

Sed unde fluxit, quærit Arnobius lib. 7. contra gentes infra med. vel ex quibus enata eſt cauſis opinionum hæc pravitas? Ex eo ſcilicet maxime, quod nequeuntes homines, quidnam ſit Deus, ſcire, quidnam ſit vis ejus, natura, ſubſtantia, qualitas,

tas, utrumne habeat formam, an nulla ſit corporis circumſcriptione finitus, agat aliquid, an non agat, &c. hæc omnia, ut dixi, nequeuntes ſcire, neque ratione aliqua pervidere, in eas ſunt opinationes lapſi, ut deos ex ſe fingerent, & qualis ſibi natura eſt, & illis talem darent. Idem fere Lactantius ait lib. 1. de falſ. religione, cap. 17. quia non pervident, quid ſit in vero, conantur eos deos ſcilicet cum rerum naturalium ratione conjungere. Juvit errorem hunc myſtica Philoſophorum Theologia, elegantibus Poetarum fabulis intermixta, de qua ſic Euſebius lib. 3. de præp. Evangelica: Generoſa Græcorum ac Ægyptiorum Theologia ad ſublimiora nos perducere fabularum allegoriis pollicita, ad corpora rurſus deduxit, nec aliud quam ignem, & aquam, & partes mundi colere adhortata eſt. Quomodo igitur Salvatoris noſtri Evangelium mirabile non eſt? quo Solis & Lunæ, totiuſque mundi Creatorem decenti fide colere, nec elementa corporum, nec viſibilia quædam, ſed eum, qui per hæc inviſibiliter cognoſcitur, creantem intellectum ſolum admirari, ſolumque adorare didicimus.

SA-

SAPIENTIÆ

CAP. XIV. V. 23.

Obscura sacrificia facientes, aut insania plenas vigilias habentes.

Alia apud Veteres erant diurna, alia nocturna sacrificia, qualia Nocti offerre consueverant: illam, ut ex hymnis Orphei & Hesiodi licet colligere, deorum antiquissimam, Chaus filiam, ætheris & diei, imo deorum hominumque matrem, & omnium rerum genesin appellabant. Huc referenda obscura illa sacrificia, & clandestina mysteria, quæ in secretis locis, antris, lucis, speluncis & cavernis de die vel de nocte celebrabant, ut major vacandi libidini foret copia & licentia; qualia erant Isidis, Plutonis, Proserpinæ, Ditis, Veneris, Priapi, & quæ Eleusina dicebantur sacra. Item Cottytia Atheniensium sacra, & alia inferorum sacrificia: hujusmodi enim nocturna festa turpissimarum libidinum, amorum, stuprorum, cædium, aliorumque facinorum occasiones & causæ erant; ita ut ipsi Ethnici ea sæpius detestati sint ac sustulerint: nam ut verissime cecinit Poeta:

Nox,

Nox, & amor, vinumque nihil moderabile suadent:
Illa pudore vacat, vina Venusque metu.

Victimæ nocturnorum sacrificiorum nigræ erant, ut Virgilius tradit:

------ Hic casta Sibylla
Nigrarum pecudum multo te sanguine fundet.

De Gallo Gallinacio canit Ovid. in Fastis:

Nocte deæ noctis cristatus cæditur ales,
Quod tepidum vigili provocet ore diem.

Tibullus:

Interea nigras pecudes promittite Diti,
Et nivei lactis pocula mista mero.

Consueverunt autem (ut notat Myrtilus) *Sacerdotes victimis, quæ inferis mactabantur, humi capita incidere: sic enim subterraneis sacrificant. At cœlestibus immolantes colla sursum vertentes jugulant.* Victimæ quoque horum deorum in effossis foveis jugulabantur; sanguisque vino mixtus effundebatur in terræ foveas ad id destinatas; uti notat cum Ovidio Apollonius. *In secundo rerum Lesbiacarum.*

Quæ interim nefanda fierent scelera in obscuris illis & secretis conventiculis, cum obscœna etiam in publico exhiberentur in honorem deorum spectacula, silere magis expedit, quam effari. Sic enim suadet Arnobius lib. 5. *Sacrorum innumeri ritus, atque affixa deformitas singulis corporaliter, prohibet universa nos exequi. Quinimo, ut*

verum exprimamus, a quibusdam nos ipsi consilio & ratione deflectimus: ne dum explicare contendimus cuncta, expositionis ipsius contaminationibus polluamur.

Videntur hic præterea indicari Bacchanalia, & his similia sacra, quæ nominari solebant congruo nomine, nocturna, laternaria, carnioria, comestipotia, & furiosa; in quibus sacrificantes efficiebantur interdum arreptitii. Quid? quod ipsi Gentiles referant, in festivitate eorum sacrificiorum, quæ Baccho & Cybeli deorum matri fiebant, deos ipsos congregatos totam noctem lusibus & luxibus vacantes turpiter insaniendo transegisse; ita ut mirum non sit, eos existimasse, gratum diis præstari obsequium ab illis, qui conati fuerint in pari insania eos strenue imitari.

O quam diversa ab his Christianorum sacra! quam casta eorum religio, quam immaculatum sacrificium, quam piæ sobriæque vigiliæ! tales in frequenti usu apud primos fuisse Catholicos S. Basilius innuit, regul. interrog. 37. ubi ait: *De tempore autem dimidiæ noctis, quod id ad orationem necessarium sit, traditum est nobis a Paulo & Sila in Actis*. Hinc Epiphanius in Compend. Psalmos, qui prima noctis hora cantari solebant, lucernales nominat. Alii quoque SS. Patres meminerunt de precibus lucernariis, ut Clemens, Cassianus, Chry-

Chrysostomus. Ipsi adeo Gentiles, ut Lucianus in Philop. ex Christianorum persona, ad hymnos tota nocte decantandos vigilantes talia somniamus. Ammianus quoque Marcellinus lib. 28. meminit de pernoctatione in Christianorum Ecclesia: quæ utique desiderat, ut fideles omnes Christum imitentur; de quo Lucas ait, cap. 6. *Erat pernoctans in oratione Dei*. S. Augustinus in celebratione Dominicæ in Serm. de tempore 252. ait: *Veniat ergo, cuicunque possibile sit, ad vespertinam & nocturnam celebrationem, & oret ibi in conventu Ecclesiæ pro peccatis suis Deum. - In die vero nullus se a sacrarum Missarum celebratione separet*. Audiant hæc Calvini seu novi Luciani & veteres sectatores; ambo enim tam vigilias Christianorum, quam sacrificia irriserunt; audiant hæc, & erubescant more Gentilium veram Christi Ecclesiam calumniari, execrari Missarum sacrificia, & virginalem statum infra matrimonium abjicere contra sensum omnium SS. Patrum. Puto autem, quod & ipsi Spiritum Dei habuerint cum Apostolo.

Notandum porro, vigilias, quas primis Ecclesiæ temporibus indiscriminatim Christiani observabant, modo abrogatas esse: refrigescente enim successu temporis charitate, visus est alius malignus calor inter vigilias easdem gliscere; ita ut satius visum

sit

ſit Epiſcopis, illa per ſe laudabili conſuetudine inſtituta, ſed hominum vitio corrupta Fidelibus interdicere; quemadmodum cum Agapis & oſculo pacis factum eſt. Melius eſt enim innocenter dormire, quam nocenter vigilare. Hinc Concilium Eliberitanum Can. 35. ait: *Placuit prohiberi, ne fœminæ in cœmeteriis pervigilent, eo quod ſæpe ſub obtentu orationis ſcelera latenter committant.* Idem vetuit Antiſiodorenſis cap. 1. & 5.

ECCLESIASTICI

CAP. XXX. V. 18.

Bona appoſita in ore clauſo, quaſi appoſitiones epularum circumpoſitæ ſepulchro.

UTi Diis Manibus ſolebant Veteres menſam inſtruere ex cibis delicatioribus, quam Hecatis cœnam nominabant, eo quod illa Hecati Triviæ Inferorum Deæ pararetur; ita & defunctorum ſuorum Manibus conſuerant in ſepulchris eorum cibum & potum apponere. Erant hæ funebres Epulæ, quæ in Feſto & Ovidio dicuntur inferiæ & feralia, a deferendis epulis ad mortuorum ſepulchra, vel potius a ferien-

dis

dis pecudibus sic appellata. In Nonio Silicernia, in Plauto Pollincturæ, in Livio viscerationes, in Cicerone de legibus circumpotationes, in Tertulliano lib. de test. animæ obsonia, & Maltæa; & quidem inter obsonia imprimis fabas apponere moris erat; ut in pervigiliis ciceres; eo quod dicantur sensus hebetare, & insomnia facere. Alii aliam causam assignant. Festus ait fabas in sacrificiis parentalibus adhiberi solere, Manes placandi gratia, in quarum flore luctus literæ apparere videntur. Unde forsan pallens a Martiali dicitur, & Manes idcirco sese vulgo dicebantur in fabas abdere. Confirmat idem Plinius lib. 18. cap. 12. Quoniam mortuorum animæ sunt in ea, (faba scilicet) qua de causa parentando utique assumitur. Hinc impura censebatur, nec licebat Diali flamini eam tangere vel nominare, quod putaretur ad mortuos pertinere. Lentes etiam & offas ad sepulchra eorum ferebant, quibus debebantur parentalia. Lucretius lib. 3. refert, parentantes nigras etiam mactasse pecudes, quas Manibus divis inferias mittebant. Censebant enim animas vel esse corporeas, vel habere corpora omnino tenuia, & aeria, quæ aliquam ex nidore ciborum delicato possent voluptatem percipere, & sanguine earum pecudum, quæ immolabantur, satiari. Hinc ejusmodi parentationes

Maltæa Athenæo interprete sunt omnia pretiosa edulia.

αἷμα sanguis, κορέω saturo.

a Bœotiis αἱμακουρίαι dictæ sunt; Non enim credebant animas in loca remotiora secedere; sed circa sepulchra versari, & feralibus interesse; ut Ovidius refert cum ritu celebrantis inferias:

Nunc animæ tenues, & corpora juncta sepulchris
Errant, nunc posito pascitur umbra cibo.
Tum cantata tenet cum plumbo Licia fusco,
Et septem nigras versat in ore fabas.

Tomo 1. l. 11. c. 4.

Nobis Christianis solenne est, ait noster Lælius Bisciola, *festo commemorationis omnium defunctorum die legumina pauperibus cocta distribuere, quæ sunt veteris ritus illius reliquia in pietatem conversi: in mea patria fabæ dividuntur, Vercellis ciceres, alibi phaseli.*

Cæterum quod præter ciborum appositionem Gentiles etiam soliti fuerint, præsertim Bythini, si justa defunctis fierent, nominatim vocare eorum animas, qui extra patriam inopinatam mortem subiissent, & invitare ipsos ter, & rogare, ut redeant, quo participes convivii fiant, refert Arrianus apud Eustat. lib. 9. Ulyss. Quod Virgilius confirmat lib. 3. Æneid. ubi Polydoro honor funebris impenditur:

Inferimus tepido spumantia cymbia lacte,

San.

Sanguinis & sacri pateras, animamque sepulchro
Condimus, & magna supremum voce ciemus.

Quibus vero uterentur verbis, aliisque ritibus, meminit Epiphanius in Ancorat. n. 87. *Graci rursus redarguuntur, resurrectionem in totum negantes, deferentes in monumenta cibos & potus diebus solennibus; edulia quidem in totum exurunt, vina vero libant; nihil commodi mortuis ex hoc afferentes, imo potius se ipsos lædentes: verumtamen coguntur a consuetudine confiteri mortuorum resurrectionem; nam ubi posita sunt corpora defunctorum, accedunt & inclamant nomina proferentes mortuorum; dicentes: Resurge tu, comede, bibe, & lætare*. Tertullianus contra Gentes negantes resurrectionem ita disserit in rem præsentem: *Vulgus irridet*, (mortuorum resurrectionem) *existimans, nihil superesse post mortem, & tamen defunctis parentant; & quidem impensissimo officio pro moribus eorum, pro temporibus esculentorum, ut quos negant sentire quidquam, etiam desiderare præsumant*.

Cæterum credebant Gentiles, per epulas funebres non parum funera mortuorum honestari; hinc tales ab hæredibus suis splendide adornari subinde curabant. De Atheniensibus tradit Pollux, Præfectos fune-

rum obſervare ſolitos, ne deeſſet parentale convivium. De Scythis docet Herodotus lib. 4. de Romanis probant multorum exempla, qui teſtamento juſſerant, ut epulum etiam publicum in ſuo funere præberetur populo. Teſtantur id ſepulchrales lapides, in quibus defunctorum epitaphia leguntur.

Videtur hic mos apponendi ferales epulas a Gentilibus converſis inter ipſos Chriſtianos locum obtinuiſſe, ut paulo ante inſinuavi. S. Auguſtinus ſerm. 15. de Sanctis morem illum taxans ait: *Miror, cur apud quoſdam fideles hodie tam pernicioſus error irrepſerit, ut ſuper tumulos defunctorum cibos & vina conferant, quaſi egreſſa de corporibus animæ carnales cibos requirant.* Eundem morem reprehendit S. Ambroſius de Elia & jejunio c. 17. & S. Cyprianus de duplici martyrio. Præterquam enim quod error eſſet, credere, animas appoſitis ferculis quodammodo refici, abuſus magni & exceſſus in iis fiebant, ut S. Auguſtinus refert de moribus Eccleſiæ cap. 34. *Novi multos eſſe ſepulchrorum adoratores, qui, cum luxurioſiſſime ſuper mortuos bibant, & epulas cadaveribus exhibeant, ſuper ſepultos ſe ſepeliunt.* Hinc idem S. Doctor lib. 6. Confeſſ. cap. 2. ait: *A preclaro quodam Predicatore atque Antiſtite pietatis preceptum eſſe, iſta non fieri, nec ab eis, qui*

ſo-

sobrie facerent, ne ulla occasio se ingurgitandi daretur ebriosis, & quia illa quasi parentalia superstitioni Gentilium essent simillima. Nondum omnia Gentilis illius ritus vestigia deleta esse Læl. Bisciola testatur loco citato; sic enim habet cap. 13. in Navigatione Egnatii ad Sinas; & in Petri Leonis historia de rebus Peruanis legi, millies consuevisse Indos ac Sinas in defunctorum tumulis varia ciborum genera deponere, & pretiosam vestem ac supellectilem, quod opinentur hæc omnia usui in alia vita ipsis futura; quam item superstitionem in multis Poloniæ locis & apud Russos scimus vigere. *Egnatii.*

Quod si consuetudo illa careret vitiosis excessibus, nec cum errore in fide conjuncta esset, tolerabilis videri posset. Hinc S. Paulinus excusat quodammodo suos rusticos in Italia, qui per simplicitatem veterum more Gentilium epulas deferebant ad sepulchrum S. Felicis:

------ *Quia mentibus error*
Insedit rudibus, nec tanta conscia culpa
Simplicitas pietate caret, male credula,
sanctos
Perfusis halante mero gaudere sepulchris.

Cæterum si ex bono fine instituatur illa ciborum appositio, ut major fiat amicorum in Domino conjunctio, aut egenorum refectio, vel afflictorum consolatio,

 lau-

laudabile & gratum Deo opus fieri censendum est. Hinc bene monet Ecclesiast. cap. 7. *Non desis plorantibus in consolatione, & cum lugentibus ambula. Date siceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro sunt corde;* quos dolor & luctus non sinit de cibo & potu sibi providere. Sane Judæis usitatum fuit amicis & pauperibus in sepultura funebre epulum instruere, ut eorum orationibus & sua eleemosyna defunctorum animas juvarent. Hanc intentionem habuerit mater S. Augustini: *Cum ad memorias Sanctorum, ut in Africa solebat, pultes, & panem, & merum attulisset*, ut de ipsa refert S. Augustinus lib. 6. confess. cap. 2. Hinc idem S. Doctor ait lib. 9. de civit. Dei cap. ult. *Quicunque epulas eo deferunt, quod quidem a Christianis melioribus non fit, & plerisque terrarum nulla talis est consuetudo; tamen quicunque id faciunt, cum apposuerint, orant & auferunt, ut vescantur, vel etiam ex eis indigentibus largiuntur; sanctificari ibi eas volunt per merita Martyrum in nomine Domini Martyrum*. Videtur etiam Tobias, cum filio suo diceret, *Panem tuum & vinum tuum super sepulturam justi constitue*, eo respexisse, ut hac ratione defunctorum animæ juvarentur: vere enim & pie monet Siracides cap. 7. *Mortuo ne prohibeas gratiam;* ita tamen, ne fiat ritu Gentilium,

lium, qui superstitiose panem & vinum collocabant super suorum sepulchra: talis enim collocatio & appositio defunctis nullo modo est utilis; & huic comparat Ecclesiasticus bona illa tam doctrinæ quam virtutis in præsenti textu, quæ in corde tantum latent, nec ad aliorum utilitatem proferuntur. Proin bene ait Cicero pro Archia Poeta: *Pudeat illos, qui ita in studiis se abdiderunt, ut ad vitam communem nullum fructum proferre possint*. Vere Seneca: *Nullius boni sibi solum jucunda possessio est. Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio*, Lucæ 11. *Sapientia absconsa, & Thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?* Ecclesiast. cap. 20. v. 32. Cor, si non præbeat aliis membris spiritum, cito deficiet. Fons, si aquas non emittat, in se ipso computrescet. Quare *deriventur fontes tui foras*. *Proverb. c. 5.*

ECCLESIASTICI

CAP. XXX. V. 19.

Quid proderit libatio idolo?

QUemadmodum Gentiles deos suos variis ciborum eduliis quasi esurientes ridicule profecto solebant pascere, ita

non minus absurde sitim eorum levare quodammodo intendebant, & extinguere liquorum quorundam profusionibus, quæ libationes dictæ sunt, ut Lactantius ait l. 6. c. 2. Mactant opimas & pingues hostias deo quasi esurienti; profundunt vina tanquam sitienti, accendunt lumina velut in tenebris agenti. Materia libationum istarum erant vinum, oleum, lac, mel. De vino canit Virgil. Æneid. 4.

Georgic. l. 4.

- - - Extaque salsos
Porriciam in fluctus, & vina liquentia fundam.
Ter liquido ardentem perfudit nectare flammam.

De oleo Æneid. 6.

Et solida imponit taurorum viscera flammis,
Pingue superque oleum fundens ardentibus extis.

De lacte meminit Statius l. 6. Thebaid.

Spumantesque mero patera verguntur & atri
Sanguinis, & rapti gratissima cymbia lactis.

De melle Silius Italicus l. 13. Punic.

Corpora lanigerum procumbunt lecta bidentum,
Fundunt mella super, Bacchique & lactis honorem.

Quam stulte vero ejusmodi libationes ido-

dolis suis Gentiles præstiterint, l. 7. adv. Gentes describit Arnobius, & irridet: *Monstrate, liquor iste cur detur?* Id est, vinum superfundatur altaribus? Nunquid enim Numinum corpora sitim sentiunt aridam, & eorum necesse est siccitates humore aliquo temperari? - Date quæso immortalibus diis, bibant scyphos, Brias, pateras, sympiniaque depromite; & quoniam tauris, pinguibusque se dapibus atque opimis inferciunt escis, ne quod in stomachi tramite male transvoratum substiterit viscus, succurrite, properate, Jovi optimo maximo merum, ne præfocetur, date. -- Sed frustra, inquit Gentilis, inequitas nobis; non enim nos superis ob eas profundimus merum causas, tamquam illos existimemus aut sitire aut bibere. Honoris ergo eis datur, quo fiat illorum elatior, amplior, angustiorque sublimitas, altaria super ipsa libamus, & venerabiles *Cnissos*, id est, usturam carnium & fumum in sacrificio carbonibus excitamus extinctis. - Et quæ gravior infligi contumelia diis potest, quam si eos credas accepto mero propitios fieri, ut honorem existimes his habitum magnum, si modo vini exigui rorem super vividam jeceris atque instillaveris flammam? Hucusque ille.

Omnium libationum loco nobis Christianis ad salutem nostram satis superque

est

est ac sufficit unica illa Christi Domini libatio, hoc est, pretiosissimi Sanguinis ejus in ara Crucis profusio, qui sanguis, & aqua, & vinum, & oleum, & lac, & mel nostrum est suavissimum, saluberrimum, & ad salutem nostram quam efficax, tam necessarium; modo ex parte nostra defectus aliquis non fuerit. Hic vero cum plerumque contingat, apud Regium Prophetam jure Christus de frustrato libationis suæ fructu conqueritur: *Quæ utilitas in sanguine meo?* Psalmo 29. v. 10.

ISAIÆ

CAP. II. V. 20.

Ut adoraret talpas & vespertiliones,

LActantius l. 2. de orig. err. c. 1. ait: *Cum cætera animantes pronis corporibus in humum spectent, quia rationem & sapientiam non acceperunt, nobis autem status rectus, sublimis vultus ab artifice Deo datus sit, apparet istas religiones deorum non esse rationis humanæ; quia curvant cæleste animal ad veneranda terrena;* imo terrenorum peripsemata; ita ut etiam vespertiliones, amphibia teterrima, ad opacas noctis tenebras damnatæ volucres, sorices,

(quos

(quos Victorinus nominat aves semimiores, alii alatas talpas) deorum loco habeantur & adorentur. Nonne *signatum est super nos lumen vultus tui Domine?* Et tamen illud adeo hebetat & confundit superstitio, ut talpas, cæcutientes bestias, monstrosa & subterranea quadrupedia Divino honore prosequatur. Quam vere exclamat Lucretius:

O stultas hominum mentes! o pectora cæca!
Qualibus in tenebris vita, quantisque periclis
Degitur hoc ævi, quodcunque est.

Iisdem tenebris Ægyptus maxime videtur fuisse involuta: quam enim abjecta, turpiaque animalia coluerit, quasi Numina, alibi satis dictum est. Ita ut mirum non sit, si talpæ etiam & vespertiliones locum aliquem in deorum numero invenerint. Ab utrisque non multum differt migalis seu mus araneus. Hoc animal ab Ægyptiis cultum fuisse tradit Herodotus l. 2. Præterea sicut alia sacra animalia pro hieroglyphicis servierunt Ægyptiis, ita & credibile est, duo antedicta ab iis illum in finem fuisse usurpata. Gesnerus l. de avibus 3. testatur, Bellonium in magna Ægypti pyramide vidisse matres vespertilionum lactantes suos fœtus admotis uberibus, quod est symbolum fœcunditatis, ut Plinius testa-

ſtatur l. 10. c. 16. *Sola volucrum lacte nutrit, ubera admovens geminos volitat amplexa infantes, ſecumque deportat*. Confirmat illud ipſum Horus Apollo in hieroglyphicis Ægyptiorum, ſcilicet veſpertilionem eſſe imaginem mulieris bene lactantis & nutrientis. Præter Orientales, refert Paulus Gryſaldus l. 3. Hiſtoriæ Indicæ, a Gentibus Occidentalibus adoratum fuiſſe dæmonem ſub ſimulacris efformatis ad imaginem veſpertilionis, quem nemo miretur a tenebrarum principe eligi & amari. Idem ait Garcilaſus Inca in Commentariis Regiis.

Hinc apparet, quam apte D. Baſilius veſpertiliones dæmonibus compararit, Comment. in c. 2. Iſaiæ, ubi ait: Eſt veſpertilio animal nocturnæ caliginis appetens, verſans in tenebris, Solis ſplendorem non ferens, & in deſertis locis perlibenter converſatur. Quid autem dæmones? An non tales? Nempe vaſtitatis opifices, lucem eam averſantur, quæ eſt vera Lux totius mundi. Idem S. Chryſoſtom. confirmat: Veſpertilionibus ſimiles eſſe diabolos propter tenebricoſam caliginem erroris, & quod a dæmonibus fiant omnia clam, *ut ſagittent in obſcuro rectos corde*. Idem Sanctus aliam adhuc allegat cauſam, ſcilicet, quod imbecillitas dæmonum indicetur. Horus Apollo in ſymbolis Ægyptiorum c. 49. ait:

ait : Imbecillum hominem, lascivientem tamen, & audacius aliquid molientem cum monstrare voluerint, vespertilionem pingunt: hic enim, etsi alas non habeat, volare tamen conatur. Nota satis dæmonum infirmitas: latrare possunt, non mordere, nisi volentem. Ne brutis quidem nocere vel minimum possunt; & tamen quæ non audent & tentant?

S. Hieronymus ideo ait, idola dictis animalibus fuisse comparata, quod cæca & tenebrosa colantur a cæcis. S. Clemens Alexand. l. contra Gentes de sculptilibus, & eorum cultoribus ait: *Estis plane cæci, sicut talpæ, degitis in tenebris, circumfluentes interitu, & corruptione*. Certe ut vespertiliones nunquam magis, quam de die periclitantur, & hinc eo tempore tectorum latebras custodiunt, & ut talpæ de cavernis terræ exire fugiunt; ita nihil adeo horret superstitio, quam in lucem protrahi, & fœditates suas manifestari.

ISA-

ISAIÆ

CAP. XIV. V. 22.

Habitabunt -- Sirenes in delubris voluptatis.

SIren nomen suum trahit secundum aliquos a verbo σύρω, latine traho, quod cantus suavitate ad se homines trahat. Alii volunt deduci a σείρω, quod idem est ac connecto, aut retineo, vel a Græco nomine σειρά, quod catenam significat. Sunt, quibus videtur Sirenum nomen esse Punicum: Pœnis enim Sir cantum significat: hinc Siren monstrum canorum est, quale a Poetis fingitur. Proin credibile est, non fuisse unquam tale in rerum natura, quod superius verus homo fuerit in specie virginis, & in forma piscis inferius. Quanquam non videatur negandum, marinas belluas in tali figura dari posse, & ut historici fide digni referunt, captas fuisse.

Fabulantur interim Poetæ, Sirenes fuisse Acheloi fluminis & Terpsichores filias, quæ tam suaviter canerent, ut homines sui ipsorum oblitos in apertam traherent perniciem. Hinc non male nominat Martialis illas, hilarem navigantium pœnam, blan-

blandasque mortes, gaudiumque crudele l. 5. Ep. 64. Fabula satis nota est. Hinc totam enarrare supersedeo. Sensum historicum breviter nobis explicat Servius in versum illum Æneid. 5.

Jamque adeo scopulos Sirenum advecta subibat.

Ubi ait: Secundum veritatem meretrices fuerunt, quæ transeuntes, quoniam ad egestatem ducebant, fictæ sunt iis inferre naufragia. Sensus moralis fabulæ notissimus, cum nemo non sciat, per Sirenes illecebrosas intelligi voluptates, quæ blandis homines præstigiis irretiunt, & irretitos in interitum dant præcipites.

ISAIÆ

CAP. XIX. V. 1.

Ecce Deus ascendet super nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur simulacra ejus.

MUltorum gravium ac sanctorum virorum est sententia, sic, ut quasi traditio sit Maldonati judicio, in introitu Christi in Ægyptum idola ejus omnia corruisse. Confirmat illud Palladius in Lausiaca c. 52. & Ruffinus l. 2. c. 7. *Vidimus,* in-

inquit, *in Thebaide in finibus Hermapolis templum, in quo, ingresso in urbem Salvatore, ceciderunt omnia simulacra in faciem super terram*. Hanc ruinam jam ante diu præcinuit Sibylla Ægyptia ita canens.

Isi Dea infelix! Nili remanebis ad amnem
Sola, furens Mœnas permixta Acherontis arenis,
Fama nec ulla tui toto remanebit in Orbe.
Tuque Serapi sedens in saxis multa dolebis,
Magnaque in Ægypto infelice ruina jacebis.
Quique per Ægyptum studuere tibi, acriter omnes
Te flebunt, sed queis illæsa in pectore mens est,
Noscent, te nihil esse, Deum quicunque celebrant.

Imo jam ante adventum Christi suum dæmones præsagierunt exterminium, & instare tempus, quo domus Dei Jacob idolis omnibus esset evacuanda. Certe Dio Philosophus, cujus mentio apud Philostratum in Tyanæo l. histor. c. 37. mira quædam refert Romæ contigisse anno ab Urbe condita sexcentesimo nonagesimo, id est annis ante partum Virginis duobus circi-

citer & sexaginta, dicens: In Capitolio multæ statuæ de cœlo tactæ, liquefactæque fluxerant, dejectaque tum erant alia simulacra, tum Jovis columnæ insistentis.

Præterea imago Lupæ cum Remo ac Romulo consecrata ceciderat; literæ etiam in columnis, in quibus Leges scribebantur, confusæ atque obliteratæ erant. - Hæc omnia Gentiles quidem, ut variis ducebantur superstitionibus, ignari divinorum eloquiorum & propheticarum prædictionum alio torquebant; sed appropinquante potius Christi in Orbem adventu idola illa contremuisse, & liquefacta concidisse merito asserunt Christiani: nam & hæc causa est, quare oraculum Apollinis obmutuerit; hanc enim silentii sui rationem dæmon ipse effari coactus est his verbis:

Me puer Hebræus divos Deus ipse gubernans
Cedere sede jubet, tristemque redire sub orcum.
Aris ergo dehinc tacitis abscedite nostris.

Admodulatur huic veritati suavi symphonia Aurelius Prudentius in carmine vel Apotheosi contra Judæos:

Ex quo mortalem præstrinxit Spiritus alvum,
Spiritus ille Dei, DEUS & se corpore Matris

Induit, atque hominem de Virginitate creavit;
Delphica damnatis tacuerunt sortibus antra:
Non tripodas Cortina regit, non spumat anhelus
Fata Sibyllinis fanaticus edita libris.
Perdidit insanos mendax Dodona Vapores;
Mortua jam mutæ lugent oracula Cumæ;
Nec responsa refert Lybicis in Syrtibus Ammon.

ISAIÆ

XXXIV. V. 14.

Occurrent dæmonia Onocentauris.

CUm ex meliori generis cognitione clarior fiat speciei notitia; Centaurus autem genus esse videatur respectu Onocentauri, Hippocentauri, Minocentauri, juverit prius scire, an Centaurus dari possit, vel unquam fuerit. Diodorus Siculus l. 4. c. 8. refert, Centauros ex diversa specie animalium, ut Hippocentauros, natos fuisse in Africa; sed reprehenditur a Gal. c. 1. l. de usu part. 3. Si, ut Sapiens inquit,

quit, id putavit fieri posse, sapientiam sibi arrogavit, si vero, ut Poeta, ei condonandum est. Etiam Cicero l. de nat. deorum secundo satis insinuat, opiniones fictas atque vanas de centauris diuturnitate extabuisse. Et Seneca ex Stoicorum sententia refert Epist. 56. *Centauri, Gigantes, & quidquid aliud falsa cogitatione firmatum, habere aliquam imaginem cœpit, quamvis non habeat substantiam*. Clare Lucretius:

Sed neque Centauri fuerunt, nec tempore in ullo
Esse queat duplici natura & tempore bino
Ex alienigenis membris compacta potestas.

Sic & Minutius Felix in suo Octavio, Centauros inter fabulosa reponit. S. Augustinus l. de Civit. Dei c. 19. & 13. ait de Centauris: *Ficta fabulæ sunt, quod equorum hominumque fuerit natura conjuncta*. Et lib. contra Faustum Manichæum c. 1. & 9. fabulosa ejus ridet inventa sub fabulosi hippocentauri nomine.

Originem fabulæ quidam referunt ad historiam, quod scilicet Rex quidam Thessaliæ jusserit, ut homines equis insidentes insequerentur tauros œstro percitos, longis hastis pungerent, (κεντέω enim Græce pungo significat) atque ita in urbem co-

gerent. Forte & hinc ortum est de Centauris figmentum; quod rudiores, qui primo insidentes equis homines conspexere, putarint naturam hominis & equi in unum quasi corpus fuisse coagmentatam. De Indis Quitensibus refert Petrus Leo p. 1. histor. c. 39. eos mirari solitos, cum Hispanos equis vectos intuerentur, existimantes, unum atque idem corpus equos, hominesque esse. Verisimilius est sub Centauri fabula veritatem aliquam physicam aut moralem Veteres intellexisse; ut per Sphingem arcanam sapientiam, per Chimæram hominem variis feris quoad mores non dissimilem; sic per Centaurum, sive corpus, cujus pars anterior hominem referret, posterior equum, prudentiam, quæ docet negotium deliberata prius consultatione suscipiendum, fortiter postmodum & velociter executioni dandum.

Censet interim Empedocles Centauros in rerum natura esse posse & fuisse; uti constat alia subinde monstra dari ex diversis specierum figuris congenita; præsertim in Africa, quæ omni fere anno novum dicitur monstrum parturire. Apud Plinium l. 7. c. 3. scribit Claudius Cæsar, Hippocentaurum in Thessalia natum eodem die interiisse. Legitur quoque in Phlegrontis Tralliani l. de mirab. & longævis, in Sauna urbe Arabiæ inventum hip-

hippocentaurum in monte altiſſimo, qui mortifero veneno abundabat, quem Rex vivum cepit, & cum donis aliis ad Cæſarem in Ægyptum miſit. Veſcebatur hic carnibus, ſed aeris mutati impatiens mortuus eſt: facies erat truculentior humana, manus ac digiti pilis tecti, latera ventri & prioribus pedibus contigua, ungulæ equinæ ſolidæ. Commemorat S. Hieronym. in vita S. Pauli: Magnum Antonium per deſerta Ægypti ambulantem conſpexiſſe monſtrum ex equo & homine, quod eidem non ſine obſcuro quodam ac indiſtincto murmure viam oſtenderit.

Hæc ſi vera ſint, negari pariter non poteſt, Onocentaurum dari poſſe, aut fuiſſe. Ælianus l. 19. c. 9. meminit Onocentauræ, quæ homini ore erat ſimilis, pilis circa faciem prolixis, collo ac pectore humano, humeris, brachiis, cubitis, manibus mammiſque turgidis inſtar hominum, cum dorſum, latera, venter, poſteriores pedes & color aſinina eſſent. Addit Geſnerus ex Crate, & Pythagora animal illud ſervitutis adeo eſſe impatiens, ut præ deſiderio libertatis, ſi captum ſit, ab omni cibo abſtineat, & inedia ſe conficiat.

In ſenſu allegorico non male ait S. Epiphanius hæreſ. 78. contra Pneumato-machos, eos quaſi monſtra, ut Centauros, Panes, Sirenes duplicis naturæ & ſemiper-

sectos ab orthodoxis, & semi-Arianis ortos fuisse. Pariter quis monstrosam dixerit nostrorum hujus temporis Acatholicorum doctrinam ex damnatis veterum hæreticorum dogmatibus compilatam. Docet hæc asseclas suos, quasi Onocentauros, omnia potius susdeque vertere, quam se Ecclesiæ subjicere, omnes Christianæ Antiquitatis ritus, traditiones, cæremonias pro obtinenda libertate conscientiæ conculcare.

Sensum tropologicum nobis explicat S. Greg. in c. 6. Job l. 7. Mor. c. 12. Quid vero Onocentaurorum nomine nisi lubrici signantur & elati? Græco quippe eloquio ὄνος asinus dicitur, & appellatione asini luxuria designatur, Propheta attestante, qui ait: *Ut carnes asinorum, carnes eorum;* tauri autem vocabulo cervix superbiæ demonstratur. Onocentauri ergo sunt, qui subjecti luxuriæ vitiis, inde cervicem erigunt, unde humiliari debuerunt, &c.

Leo Castrius non solum luxuriam per Onocentaurum intelligit, sed ex mente Basilii, Athanasii & Theodoreti quævis vitia & peccata: per illa enim fit homo sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, omni bellua & monstro turpior in oculis Dei & abominabilior. S. Hieronymus ait, hic Isaiam vaticinari, habitaturos in Jerusalem idololatras, & variis superstitio-

nibus

nibus servientes, eosdemque Onocentauris, pilosis, lamiisque a Propheta comparari.

Dicet aliquis: Ergo & viri Spiritu Sancto afflati utuntur fictis Gentilium nominibus, & contra Apostoli mentem ad fabulas convertuntur? Credo equidem, qui hæc objicis, ipsum redargues Apostolum; quod ad probandum Areopagitis unum verum Deum, Gentilis Poetæ testimonio usus fuerit; cum tot, tamque clara ex scripturis ipsi suppeterent argumenta. Sed hæc (ut bene advertendum est) minus apud Ethnicos valuissent, quam quæ ex ipsorum libris attulit. Stulte enim ex testimonio S. Scripturæ unicum Deum existere, illis probatur, qui talem negant unquam extitisse. Ex notis & admissis optime urgentur adversarii & convincuntur; hinc temere ab imperitis culpantur, quæ in sacris literis ex rebus Gentilium adducuntur ad veritatem propositam magis explicandam & exprimendam. Quantum in eo desudavit Patrum industria, ut ex ipsorum Ethnicorum fabulis, Philosophorum, oraculorum & Sibyllarum testimoniis ostenderent, non indecorum fuisse, Deum nasci, pati, & mori, ut alia fidei nostræ mysteria confirmarent. Hoc est, Goliathum proprio gladio interficere, Ægypti spoliis tabernaculum Dei exornare, ex lignis e luco deorum succisis vero Deo lu-

culentius offerre ſacrificium. Hac ratione, dum profana ſacris ſerviunt, ſacrantur potius profana, quam Divina profanentur.

S. Hieronymus in Amos Proph. c. 6. docet, Interpretes tam ſeptuaginta quam alios ſubinde Hebræa nomina, quæ apud Hebræos aliter appellantur, vocabulis fabularum Gentilium in noſtram linguam transferre; non quod fabulas narrent, aut approbent; ſed quoniam Gentiles neophyti, quæ dicebantur, non facile intellecturi erant, niſi per vocabula, quæ uſu imbiberant. Ita veriſimile eſt, Idumæos, quibus Iſaias minitatur, dum extremam vaſtitatem aliquam & ſolitudinem vellent indicare, talem locum expreſſiſſe, in quo Onocentauri, Sirenes, Piloſi, Lamiæque, & neſcio quæ alia monſtra vera ſive ficta habitarent & quieſcerent. Bene igitur Propheta nominibus ejuſmodi uſus eſt, ut majorem populo terrorem incuteret, & maturiorem pœnitentiam perſuaderet.

Obſervandum denique, ut ſuperſtitioſa & fabuloſa applicentur apte, raro, & decore. Apte quidem, ut ad majorem veræ fidei commendationem ſerviant. Sic corona Idoli Melchom admodum congruenter in regni Iſraelitici capite reſplenduit. Applicant quidem hæretici Sanctorum, imo ipſius Dei ſtatuis & imaginibus, quæ in

Scri-

Scriptura de Idolis Gentium leguntur, sed inepte, fraudulenter & maligne. Quod si in societatem aliquam venire cupias cum Arca Testamenti idolum Dagon; veniat, sed ut fractum jaceat ad limen templi & comminutum; hoc est, sic fiat mentio rerum Gentilium, ut tantum vergat in earum contemptum & ignominiam, quantum cedit in veri Dei Fideique laudem & gloriam. Dein decore; decet enim, quod Dei sacris ex Gentilismo adhibetur, cunctis prius superstitionum sordibus expurgari. Hinc prohibuit Judæis Deus, ne in ullo mel sibi offerretur sacrificio, quia pati non poterat religionis suæ exercitia infandis carnium voluptatibus, quibus Ethnicorum sacra abundabant, contaminari. Nec vacat mysterio, quod Gentilis fœmina Israelitæ veri Dei cultori non posset nubere, nisi rasa prius cæsarie, & circumcisis unguibus. Raro denique, ut gratiam habeant, & ejus, de qua tractatur, materiæ gravitatem non impediant. Non prono corpore, sed obiter e fronte Ethnicorum bibat orator Christianus, ut canis e Nilo: per modum hospitis tractetur, quod ex Ægypto venit, non concivis. Sic vicissim de sapiente ait Ecclesiasticus c. 39. *Terram alienigenarum gentium pertransiet*, non incolet. In quo ergo loco demorabitur, ut veram addiscat sapientiam?

Deuteron. c. 21. *v.* 12.

tiam? In Sion & in Jerusalem; *Quia de Sion exhibit lex, & verbum Domini de Jerusalem*, Isaiæ c. 2. v. 3.

ISAIÆ

CAP. XXXIV. V. 14.

Pilosus clamabit alter ad alterum, ibi cubavit Lamia, & invenit sibi requiem.

DE Pilosis dictum est alibi. De Lamia in præsenti paucis. Fertur esse deformis quædam ac crudelis belluarum species, ficta potius quam vera; proin videtur pertinere ad stabulum eorum animalium, quorum Virgilius meminit:

Centauri in foribus stabulant, Scyllæque biformes
Et centumgeminus Briareus, ac bellua Lernæ
Horrendum stridens, flammisque armata Chimæra &c.

Sunt, qui cum Aristotele l. 1. histor. animal. 5. Lamiam esse dicunt ex Cetorum genere mammosam & admodum voracem. Præter hanc marinam alia terrestris datur, ut Gesnerus ait l. de quadrup. fol. 569. de qua videtur hic Propheta loqui; animal gran-

grande, ut ait Albertus Magnus, & crudelissimum, in desertis & ruinosis locis habitans, fœminæ speciem aliquantum referens. Dion, qui Lybicam scripsit historiam, hæc de Lamiis habet: Facies est mulieris, inferiora speciem serpentis exhibent, & quidem horribilis, (in Hebræo enim, Threnorum quarto, pro Lamiæ legitur tannin, id est Draco secundum 70. Chaldæos, aliosque) alas non habent, sibila acutissima draconum more emittunt; non vi, sed fraude ac dolo expugnant homines, pectora aperiunt, ostendunt ubera, & intuentes veneficiis quibusdam ad se alliciunt, imo cogunt; accedentes rapiunt, occidunt, devorant. Hæc ferme de Lamiis Dion. Et hinc nomen suum sortiuntur, non a laniando, ut Isidorus putat, sed ἀπὸ τῦ ἔχειν μέγαν λαιμὸν, quod magnum guttur habeant ad vorandum.

Referunt quidam Lamias ad Striges, Lemures, Empusas, seu potius spectra dæmonum & phantasmata. Meminit de eorum aliquo Philostratus in vita Apollonii l. 2. dicens: Apollonius, & socii cum lucente claraque Luna nocte iter facerent, Lamiæ, Græce Empusæ, Phantasma illis occurrit, modo in hanc, modo in aliam figuram se convertens, quandoque ab oculis repente evanescens. Quæ satis indicant spectrum fuisse dæmonis. Solent autem

spe-

spectra ejusmodi in solitudinibus & locis desertis errare ac vagari; & in simili loco ait hic Propheta cubuisse Lamiam, & requiem invenisse. Sic Matth. c. 12. dicitur, dæmonem per loca arida ambulare: hæc enim videntur destinata in hoc mundo malignis spiritibus habitacula, & sic
Tob. c.8. v.3. congrue dæmonium a Raphaele religatum est in deserto superiori Ægypti. Hinc legitur apud S. Athanasium, Palladium c. 20. Cassian. collat. 7. c. 23. dæmones conquestos esse de S. Antonio, Macario, aliisque eremorum sanctissimis incolis, quod sua homines loca invaderent, & eadem Christi cultu consecrarent.

A Poetis fingitur Lamiam valde speciosam a Jove adamatam, omnes vero ejus liberos a Junone ex zelotypia fuisse interfectos; quare ex nimio mœrore deformata omnes aliorum proles, quas rapere potuit, devoravit. Fundamentum hujus fabulæ fuisse videtur mulier Africana, Lamia nomine, fera ac deformis, ex simili forsan genere prognata, sic enim canit Euripides:

Quis Africanæ nesciat Lamiæ genus,
Infame nomen & tetrum mortalibus?

In sensu allegorico per Lamiam intelligitur secundum Rabanum duplicitas Judæorum, & fictio hypocritarum. Lamia enim habet faciem humanam, sed corpus bestia-

stiale. Secundum S. Gregorium l. 19. Moral. c. 15. denotantur hæretici: *Qui humanam quidem faciem, sed belluina per impietatem corda gestant: hi mammam nudant, cum errorem libere prædicant; catulos lactant, cum male sequaces parvulorum animas ad impietatem nutriendo confirmant.* Denique voluptatem, cujus symbolum Lamia est, quasi spectrum evanescere, docet Greg. Nyssenus: *Non enim est fruitionis illius & voluptatis, quæ momento temporis fit, in hominum natura penu, ut delectationem illam asservare & recondere possint, quam omni ope comparare conantur; sed instar fallacium phantasmatum, cum teneri a voluptatum amatoribus creditur, de repente evanescit, & in nihilum recidit.*

ISAIÆ

CAP. LXV. V. 11.

Qui ponitis Fortunæ mensam, & libatis super eam.

FOrtunam Deam esse, Gentiles censuerunt. *A fortuitis nomen habere dicunt.* Alii volunt, primo dictum esse Vortuna a Vortendo. Postmodum fortuna, cujus vis præcipua esset, omnia sus-deque vertere, *Isid. l. 8. c. ult.*

tere,

tere, & mundi bona, cui vellet, pro libitu dare vel auferre. Græcis videtur idem fuisse fortuna, quod occasio, masculino nomine καιρός: & ideo forsitan *Philosophi, ne aliquando non errent, in re stulta volunt esse sapientes, qui fortunæ sexum mutant, eamque non deam, sicut vulgus, sed deum esse dicunt.*

Lactantius l. 3. c. 29.

In Hebraico pro fortuna ponitur Gad, id est, felicitas; Gad enim fuit Ethnicorum deus, a quo omnem suam in bello fortunam & victoriam pendere existimabant. Hinc Germani veteres bellis & rapinis addicti, deum suum God vocabant, eumque ut fortis bellicæ ac fortitudinis præsidem colebant. In statuis olim Fortuna plerumque fuit exhibita in manu habens Cornucopiæ, felicitatis & abundantiæ symbolum; & hæc, Videns Fortuna dicta est, bonis omnibus salutaris, eorumque præmiatrix. Verisimile est illam a Judæis Divino cultu fuisse honoratam exemplo Ægyptiorum, quorum dea præcipua Isis erat. Iisdem vero fortunam esse, ex Apulejo licet colligere; sic enim apud illum lib. 11. Sacerdos Isidis eundem Apulejum sacris hujus deæ initiatum alloquitur: *In tutelam receptus es Fortunæ, sed Videntis, quæ suæ lucis splendore ceteros etiam deos illuminat.* In his verbis insinuatur, & aliunde satis notum est, Isidem Ægyptiorum,

tum, Lunam fuisse. Philastrius Brixiensis l. de hæresib. ait: *Alia est hæresis in Judæis, qui reginam (quam & Fortunam Cœli nuncupant, quam & Cælestem vocant in Africa) adorabant, eique sacrificia sua offerre non dubitabant.*

A variis varie fuit nuncupata: scilicet Primigenia, Virginalis, Obsequens, Inconstans, indignorum fautrix, improba, Publica, Equestris, Redux, Barbata, Brevis, &c. *Stultitia, & error, & cæcitas, ut Cicero ait, ignoratio rerum atque causarum naturæ ac fortunæ nomina induxit tam varia.* Qua autem in veneratione hæc apud omnes fuerit, Plinius nobis refert lib. 2. cap. 7. *Toto quippe mundo & locis omnibus, omnibusque horis fortuna sola invocatur, - huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta.* Orpheus fertur hymnum Fortunæ cum Thuris Thymiamate concinuisse; Pindarus ut deam celebrasse. Horatius canit illam lib. 1. od. 35. omnibus non venerabilem solum esse, sed etiam formidabilem.

Lactantius loco citato.

Primus Fortunæ templum dedicasse memoratur Ancus Martius sorore Numæ natus; hic censebatur Fortunam fecisse cognominem fortitudini, cui multum confert ad obtinendam victoriam. Blondus lib. 1. de Roma triumphante scribit, apud Nemorensem lacum fuisse templum Fortu-

næ Virilis, & eidem deas virgines immolasse. Vetustum quoque illius templum fuit Præneste, ubi per sortem oracula fiebant. Apud Antium Fortuna templum habuit famosissimum, multorum etiam Principum & Imperatorum donis ornatum; unde etiam Civitas fortunæ ipsius tutela dicta est. Omnium maxime censetur Servius Tullus Fortunæ vim Divinam extulisse, omnibusque eam inscripsisse actionibus: non enim fortunæ duntaxat bonæ spei, Averruncæ, Blandæ, Primigeniæ & Virili templa condidit, sed etiam parvæ, quam Brevem vocant, - statuæ quoque eidem fuere dedicatæ. Pausanias scribit in Messen. Bupalum quendam præstantem templorum ædificandorum, & animalium fingendorum artificem primum Smyrnæis Fortunæ statuam fecisse, Polum in capite sustinentem, altera manu Amaltheæ cornu gestantem. Clavus eidem tribuitur, vel ad significandam illius firmitatem, vel ad exprimendam vim & necessitatis potentiam.

Qua ratione Fortunam Gentiles, & eosdem imitantes Judæi coluerint, versu præsenti exprimitur: *Qui ponitis fortunæ mensam, & libatis super eam*; in quæ verba sic commentatur Hieronymus: *Est in cunctis urbibus, & maxime in Ægypto, idololatriæ vetus consuetudo, ut ultimo die*

anni

anni ponant mensam refertam varii generis epulis, & poculum musto mixtum, vel præteriti anni vel futuri fertilitatem auspicantes; hoc autem faciebant Israelitæ, omnium simulacrorum portenta venerantes. Sanctius ait hic, pro mensa Altare posse intelligi, probatque variis Scripturæ locis Altare pro mensa subinde poni, ut sit sensus: Qui ponitis altare fortunæ, in quo stato & solenni ritu pocula aut aliud libationis genus offerretur: sic enim Jovi ac Bonæ Fortunæ in mensis litari solitum docet Athenæus lib. 15. cap. 20. ubi Authores citat antiquos.

Cæterum frequens apud Historicos fit mentio mensarum, quibus Gentiles suis in sacrificiis utebantur. Erant tales diis consecratæ, & in locis sacris religiosisque repositæ, sine quibus nihil conficiebatur. In his mactare, immolare, omnis generis vasa reponere solitum erat. Vide Diog. Laert. in Pherecid. & Polluc. lib. 4. de partibus Theatri. Arnobius lib. 1. *Sacras facitis mensas salinorum appositu, & simulacris eorum*. *Mensæ*, inquit Festus, *in ædibus sacris ararum vicem obtinebant*. Ut proinde Cicero non sine ratione aras, focos & mensas in orat. de Arusp. responsis appellare voluerit: *Deorum*, inquit, *ignes, solennes mensæ, abditi & penetrales foci*. Porro mensam divinis my-

ſteriis aptam Feſtus tradit Anclabrin fuiſſe dictam, ab antiquo Plautino verbo anclare ſeu antlare, ſive id a Græco verbo ἀντλῶ, id eſt, haurio, ſive a priſca voce anculare, (quod idem ac miniſtrare ſignificabat, unde & ancillæ nomen trahunt aliqui) deductum ſit. Fuerunt autem diverſis diis diverſæ menſæ dedicatæ: hinc menſæ Curiales Junoni; menſæ Mythriacæ apud Polluc. Mythræ; Menſæ Aphrodiſiæ Veneri; menſæ denique Iſiacæ Iſidi erant conſecratę; & hę forſan communes erant Fortunę: ſiquidem Ægyptiorum Iſis fortuna fuit, ut ſupra probatum. Legimus prętereа, menſas diis ac deabus ſacras diverſis figuris ac diverſis ex materiis fuiſſe confectas. Plutarchus enim quadratas, aſcarias, rotundas, cibiles, aſſidelas olim fuiſſe dictas teſtatur. Jovi ac Apollini menſæ erant aureę; Dianę, Veneri, Junoni argenteę, reliquę deorum turbæ marmoreę; ligneę denique pediſſequis numinibus deſtinabantur.

Quid in iis menſis fieret, textus noſter declarat: *Qui ponitis Fortunæ menſam, & libatis ſuper eam*. Seu effunditis vinum aut alium liquorem ſuper menſam vel aram. De libatione alibi actum. Arias Montanus & Delrio cenſent τὸ *ſuper eam* ex Hebręo vertendum eſſe ad numerum. Talem enim in libationibus ſervatum eſſe

se non pauci tradunt. Sic Virgil. lib. 4. Georgic.

Ter liquido ardentem perfudit nectare
Vestam.

Et Hor. lib. 3. od. 19.

— Tribus aut novem
Miscentur cyathis pocula commodis,
Qui musas amat impares.
Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates tres, prohibet supra.

Sic in sacris ad memoriam Annę Perennę (sic dictę, quod annorum pręses esset) fieri solitis ad numerum bibebant ethnici, sperantes tot annos sibi adjectum iri, quot cyathos in solenni ejus festo ebibissent. De quo Ovidius:

Sole tamen vinoque calent, annosque precantur,
Quot sumunt cyathos, ad numerumque bibunt.

Sic putat Arias per Gad numerum septenarium denotari, scilicet ternarium per γ, quę est tertia alphabeti Gręci litera, & quaternarium per δ sive delta, & sic pocula Numini & Nomini Gad indicta septena fuissent numerata. Pœna tali modo vel alio Fortunę libantibus versu sequenti exprimitur: *Numerabo vos in gladio;* quasi diceret Deus: ad numerum libatis, ad numerum pariter in gladio cadetis.

Quam vanus fuerit omnis cultus ab Ethnicis Fortunę ut deę exhibitus, fuse Lactantius ostendit lib. 3. de fals. relig. cap. 29. Verisimilius putarunt alii Gentiles, nihil aliud esse Fortunam, quam fatum subjectum & ministrum ęternę providentię; quę ab Homero describitur per catenam auream, a Jove de cœlo in terram demissam, qua Jupiter omnia comprehendit, constringit, & ad se trahit. Macrobius lib. 5. c. 16. eleganter ostendit, Fortunam unam esse, licet ab effectu diverso duplicem Gentiles finxerint, Videntem & Cęcam, sive prosperam & adversam: nam Jupiter ille duobus veluti e doliis (ut Homerus finxit) nunc lęta, nunc tristia nobis immittit; nec aliud est fortuna, quam rerum omnium vicissitudo, non modo cum doliis, ut dictum est, sed etiam cum lancibus illis aureis comparanda, quibus non Gręcorum tantum ac Trojanorum, sed mortalium omnium fata nunc huc, nunc illuc inclinans Jupiter dispensat, ut in Phœdone narrat Socrates, miscendo malis bona; natumque inde dolorem; hinc voluptatem catena quadam adamantina ita inter se jungit & devincit, ut licet maxime dissideant, tamen nequeant separari.

Ex Christianis nemo est, qui credat Fortunam deam esse; cum fateri debeat

cum

cum Sapiente cap. 14. *Tua Pater providentia gubernat omnia ;* in regno autem providentiæ nihil licet casui, nihil temeritati. Confirmat hæc S. Augustinus quæst. 91. in Genes. ubi ait: *Fortuna intelligenda est pro his rebus, quæ fortuito videntur accidere; non quia numen aliquod sit; cum hæc ipsa, quæ fortuita videntur, causis occultis divinitus dentur.* Hinc idem S. Doctor lib. retract. taxat pessimam (ut ipse ait) hominum consuetudinem, *qui pro eo, quod dicere deberent, hoc DEUS voluit, dicunt: hoc voluit Fortuna ;* quasi illa mundum regeret, non Dei providentia.

In *sensu tropologico*, juxta explicationem S. Hieronymi, *omnes, qui Ecclesiam deserunt, & obliviscuntur montem sanctum Dei, & se tradunt spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, parant Fortunæ mensam, nihil ad Deum pertinere credentes, sed vel stellarum cursu vel varietate fortunæ omnia gubernari.* Quos Paulus increpat dicens ; *Non potestis mensæ Domini participare & mensa dæmoniorum.*

Prodicus philosophus, teste S. Epiphanio, docuit Lunam esse deum. Sic & Manichæi Solem & Lunam adorabant, teste S. August. lib. 14. contra Faustum cap. 11. Etiam Mahomet in Alcorano sanxisse dicitur cultum Cubar, seu Lunæ.

Cæterum quoad præsentem versum, conqueritur Deus, quod Judæi in plateis Jerusalem & in civitatibus Juda placentarum oblatione reginæ cæli sacrificent more Gentilium. Et hi quidem varia panum, placentarum & liborum genera, quæ ex frumento, farre, & leguminibus confecta erant & composita, diis suis offerre solebant, quibus eos placarent. Et inde forsitan deductum est nomen placenta, quod deos placaret, nisi a Græco πλακᾶς velis derivari, quod diis placeret. Magnam certe cognationem inter se habent duo hæc verba, ut unum ab altero videatur derivatum: quæ enim placent, placant; & quæ placant, placent. Hinc bene ait S. Bernard. epist. 41. *Si non places, non placas*. Porro diis quibusdam proprii panes erant consecrati; de quorum nonnullis meminerunt Pollux lib. 6. & Athenæus. Cujusmodi præ aliis erant Obeliophori in Bacchi celebritatibus; Peloni vero omnibus diis erant communes. In præsenti versu certa placentarum species videtur esse oblata, quæ bos cornuta dicta est, a

cornu similitudine, quale refert Luna accrescens, cui placentas illas præsentabant. Alii Dianæ seu Lunæ ἀμφίφωνες seu placentas, affixis circum circa accensis cereis, in templo Munichia dicto offerebant, teste Polluce lib. 6. cap. 14. Hesychio, & Eustat. Iliad. λ. Lyra putat, formas placentarum rotundas fuisse, additque fuisse morem Gentium, quas Judæi imitabantur, ex siligine aliove farinæ genere deos fingere, & illis vesci, in amoris & observantiæ signum erga illos, vel ut essent iis simillimi. Sic Romani deum Hellespontiacum ex siligine fingebant & edebant, teste Martiali lib. 4. Epig. 69. titul. *Priapus siligineus*. Ita credibile est, stultum Israelem in similitudinem Lunæ liba aut placentas formasse, illasque religionis gratia edisse, aut Lunæ obtulisse; & quidem singulari cum diligentia & fervore, ita ut nullus domi remaneret, dum Reginæ cæli esset sacrificandum. *Filii colligunt ligna, patres succendunt ignem, mulieres conspergunt adipem, &c.* Æmulum laborem & parem zelum describit Ovidius Fastor. 2. dum deo Termino sacrificium pararetur:

Ara fit, huic ignem curta fert rustica testa
Sumptum de tepidis ipsa colona focis.
Ligna senex minuit, concisaque construit alte,

Et

Et solida ramos figere pugnat humo:
Tunc sicco primas irritat cortice flammas,
Stat puer, & manibus lata canistra tenet.
Inde ubi ter fruges medios immisit in ignes,
Porrigit incisos filia parva favos.
Vina tenent alii, libantur singula flammis:
Spectant, & linguis candida turba favet.

Fervor hic Gentilium idolis suis sacrificantium jure confundit damnabilem multorum socordiam in servitio unius & veri Dei. Quoties non conqueritur in Scripturis Deus per Prophetas suos de ingratitudine populi sui, quod, cum multo plura illis contulerit beneficia, quam conferre dii gentium potuerint; multo tamen minus sibi, quam idolis serviretur. Modo redarguit inconstantiam illorum, & perfidiam; *Judicio contendam vobiscum, ait Dominus, transite ad insulas Cethim, & videte, & in Cedar mittite, & considerate vehementer, si mutavit gens deos suos; & certe ipsi non sunt dii.* Nonne vides, ait hoc versu ad Jeremiam Deus, quid illi faciunt? Quam commune sit, & alacre domesticorum omnium studium, ut Reginæ cæli sua deferant obsequia? Ubi par zelus est in domo Domini? Aut fervor similis

milis

milis in Synagoga Judæorum? Habent certe Christiani, quod plus timeant, ne ansam de se conquerendi Deo præbeant: tanto enim atrocius erit, quod eos in inferno expectat supplicium, quanto majus fuerit, quod ingratis illis præstitum est beneficium.

Non parum sibi ex præsenti versu applaudunt Hæretici, exprobrantes Catholicis, quod more Gentium colant & adorent Reginam cęli, Mariam scilicet; quod oblationes in nomine ejusdem faciant, quod Collyridianos imitentur, damnatos a SS. Patribus hæreticos; quorum meminit Epiphanius hæresi 79. aitque, solitos illos fuisse collyridia aut placentas quodam anni festo per dies aliquot proponere ac offerre Beatæ Virgini, quasi Deæ, per mulieres, currum, seu sellam quadratam adornantes, linteo desuper extento; quos jure Epiphanius redarguit, confutat ac condemnat; & Catholici omnes cum eodem. nemo enim eorum adeo vesanus est, ut Mariam Virginem deam esse credat, & ut talem veneretur; quemadmodum dicti hæretici faciebant: quanquam SS. Patrum exemplo eam colendam esse censeant & invocandam. *Honoretur sane Maria*, S. Epiphanius, *Pater vero, Filius, & Spiritus S. adorentur*. Non sentiunt quidem cum Collyridianis nostrates heretici; tamen (ut de

aliis hereticis B. V. honorem diminuentibus ait idem Epiphanius) *in contrariam partem declinantes in noxam ac perniciem inciderunt, ut Gentilium Philosophorum celebre illud dictum in ipsis comprobetur: Extremitates, aqualitates*, quales sunt nimio honore & nullo Deiparam afficere.

J E R E M.

CAP. XLVI. V. 16.

A facie gladii Columba.

CEnsent aliqui, sensum esse metaphoricum, & in columba celeritatem tantum designari, ob velocissimum & constantissimum volatum, metum scilicet incutiendum ob appropinquantem subito & opinione citius hostium exercitum. Idem putat Sanctius, sic discurrens: Si proprium Chaldeorum signum in vexillis fuerit columba, cur Jeremiæ cap. 50. vers. 16. etiam de Persis dicitur: *A facie gladii columbæ?* cum tamen constet signum militare Persarum fuisse auream Aquilam in oblonga hasta patentibus alis, ut refert Xenophon lib. 7. Cyropædiæ. Sed nihil obstat, quominus signum commune possit esse magis proprium uni nationi; si aliun-
de

de per adjunctum, v. g. aliud signum, sufficiens habeatur distinctio. Certe si ratio Sanctii stringeret, nec aurea aquila fuisset militare signum Romanorum; quia Persis fuisset proprium: & tamen imaginem Aquilæ auream hastæ suffixam Romanis legionibus in signum militare fuisse Dion refert lib. 40. & ex eodem Plinius lib. 10. cap. 4.

Hinc alii Interpretum censent, Chaldæos in vexillis suis habuisse figuram columbæ, in honorem & memoriam Semiramidis generosissimæ viraginis, quæ Babylonem condidisse creditur, vel auxisse, vel muniisse: eo quod a columbis fuerit enutrita, & cum iisdem *extremos altis in turribus egerit annos*, post mortem denique in columbam conversa. Credibile est, Gentiles non parum fiduciæ collocasse in signis deorum suorum, vexillis, clypeis, aut aliis armis impressis, ut victoriam de hostibus reportarent. Valerius Flaccus lib. 6. Argonaut. ait:

Ovid. l. 4. Metam.

Cuncta Phalanx insigne Jovis, cælataque gestat
Tegmina, dispersos trifidis ardoribus ignes.

Plus terroris & cladis intulit Infidelibus insigne S. Crucis: illius enim virtute Maxentium cum suis copiis a Constantino Magno superatum esse, testatur Eusebius. Accinit

cinit eidem Prudentius, victoriæ causam subjungens:

Christus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat Labarum, clypeorum insignia Christus
Scripserat, ardebat summis Crux addita cristis.

BARUCH

CAP. VI. V. 3.

Videbitis in Babylonia deos, aureos & argenteos, & lapideos & ligneos.

ASsignatur hoc versu causa idolorum materialis, & præcipua quidem aurum & argentum, secundum illud Psalmographi: *Simulacra Gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.* Quam notus aureus ille deserti vitulus, ab ingratis perfidisque Judæis ad Apis Ægyptii similitudinem fabricatus? Notissimi quoque duo illi vituli aurei a Jeroboamo Rege Israel conflati. Fuerunt autem idola Gentium vel plane aurea & argentea ex solido auro & argento, vel inargentata aut deaurata. Alia erant elaborata ex lapide, & quidem aliqua ex atro lapillo,

quo

quo significabant Deum ab oculorum acie penitus remotum esse. Refert Pausanias in descriptione Achajæ, in quadam ejus regione extitisse triginta quadratos lapides deorum nominibus inscriptos, quibus, mos Græcis erat, parem cultum atque deorum simulacris exhibere. Meminerunt quoque simulacrorum marmoreorum scriptores veteres. Cicero pro domo sua: *Ejus simulacrum e marmore in sepulcro positum fuit*. Et in sexta contra Verrem ait: Chrysam amnem ab Assorinis deum esse habitum, & in fano ejus fuisse simulacrum præclare factum ex marmore. Vide Plinium lib. hist. nat. 36. cap. 5.

Vetustissima & communis passim idolorum materia fuit lignum. Pausanias enim scribit, primis temporibus lignea apud Græcos in usu fuisse simulacra. Sic lignei signi admodum vetusti meminit Cicero orat. 6. contra Verrem, quod erat Bonæ Fortunæ. Notum satis est ex historiis, Veterum Gallorum Sophos ac Sacerdotes divinis honoribus quercuum robora affecisse; & ideo forsan Druidæ dicti sunt a δρυσὶ, hoc est quercubus, ut vult Sulpitius, addens verba hæc, lib. 16. capite postremo: *Nihil habent Druidæ visco & arbore, in qua gignantur, si modo sit robur, sacratius*. In sacrificiis epulisque rite sub arbore preparatis duos admovent candidi

δρῦς quercus.

colo-

coloris tauros, quorum cornua tunc primum vinciantur; sacerdos candida veste cultus arborem scandit, falce aurea demetit, candido id excipitur sago, dein victimas immolant, precantes, ut suum donum deus prosperum faciat his, quibus dederit. Etiam humano sanguine arboribus litatum fuisse Lucanus meminit lib. Pharf. 3.

Vide Lelium Bisciolam t. 2. l. 17. c. 19.

- - - Sed barbara ritu
Sacra Deum, structæ diris altaribus aræ,
Omnis & humanis lustrata cruoribus arbor.

Max. Tyr. serm. 38. affirmat, Celtas excelsam Quercum coluisse, & Jovis nomine solenniter appellasse. Videtur, aliquot sæculis post Christum natum ritus aliquis colendæ arboris fuisse reliquus; id quod colligere licet ex lege lata Luitprandi Longobardorum Regis: *Qui ad arborem, quam rustici Sanctivam vocant, adoraverit, vel incantationes fecerit, componat medietatem pretii sui in sacro palatio*. Nihil hic mentionis faciam de quercu Dodonæ celeberrima, quæ semen fuit infinitarum superstitionum. Testatur præterea Plutarchus, antiquissima tam apud Græcos, quam Romanos simulacra fuisse lignea; hinc simulacrum ligneum delubrum fuit dictum; nam, ut Festus inquit, delubrum dicebant fustem delibratum, id est, decorticatum, quem

quem pro deo venerabantur. Ridicule Horatius Priapum de se ita loquentem introducit:

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Cum faber, incertus, scamnum, faceretne Priapum,
Maluit, esse Deum; Deus inde ego.

Propertius Vertumnum proponit ita loquentem de simulacro suo:

Stipes acernus eram properanti falce dolatus,
Ante Numam grata pauper in Urbe deus.

Tibullus deos Penates lib. 1. eleg. 10. sic alloquitur:

Neu pudeat prisco vos esse e stipite factos,
Sic veteris sedes incoluistis avi.
Tunc melius coluere fidem, cum paupere cultu
Stabat in exigua ligneus ade deus.

Ita primis Ecclesiæ Catholicæ temporibus melior erat ejusdem status, quando erant lignei calices, & aurei Sacerdotes, quam postmodum; dum refrigescente multorum charitate, aurei quidem sunt calices, sed lignei non raro sacerdotes.

Notandum hic est, singulis diis non ligna quævis obvia, sed certa quædam fuisse destinata. Pausanias scribit advertisse se, has plerumque arbores ad idolorum fabri-

bricam selectas fuisse: Buxum, Ebenum, Cupressum, Cedrum, Quercum, & Smilacem. Isaias meminit cap. 44. Cedri, Ilicis, & Quercus, e quibus simulacra deorum conficiebantur. Priapus, ut supra dictum, ex ficulno fiebat, Hercules ex populo, Venus ex myrto, ex quercu Jupiter, Minerva ex Olea, Mercurius ex Buxo, præcipue tamen ex Thya, quam Trogem Homerus appellavit. *Arbor non facile putredini obnoxia.*

Arnobius lib. 6. contra Gentes non sine confusione Gentilium & irrisione de materia idolorum ita discurrit: „ Simulacra ista, quę vos terrent, quęque templis in omnibus prostrati atque humiles adoratis, ossa, lapides, æra sunt, argentum, aurum, testa, lignum sumptum ex arbore, aut commixtum glutinum gypso, ex ornatibus fortasse meretricis, aut ex muliebri mundo, camelinis ex ossibus, aut ex Indici animalis dente, ex cacabulis, ollulis, ex candelabris & lucernis, aut ex aliis obscœnioribus vasculis congesta, conflata, in has species ducta sunt, atque in formas, quas cernitis, exierunt. Fornacibus incocta figulinis, ex incudibus & malleis nata, grossis rasa, discobinata limis, serris, forficibus, aculeis, asciis secta, dolata, effossa terebrarum excavata vertigine, &c. *Ita iste*. Non error est? Non

„ (*ut proprie dicatur*) amentia Deum
„ credere , quem tu ipse formaris? Sup-
„ plicare tremebundum fabricatæ abs te
„ rei? Et cum scias & certus sis, tui es-
„ se operis & digitorum artem, pronum
„ in faciem ruere, opem rogare suppliciter,
„ adversisque in rebus, atque in tem-
„ poribus asperis propitii Numinis favo-
„ re succurrere? *Arnobius*.

BARUCH

CAP. VI. V. 3.

Videbitis deos in humeris portari, ostentantes metum Gentibus.

ARnobius lib. 6. adv. Gentiles prope finem ostendit, quam miseri & futiles Gentium dii nullo modo fuerint timendi : „ Præter innumeras, inquit, cri-
„ minum & facinorum formas; ipsa etiam
„ videamus templa sacrilegis violationibus
„ appeti a tyrannis, a Regibus, a latro-
„ nibus, & nocturnis a furibus, ipsosque
„ illos deos, quos ad metus faciendos ve-
„ tus finxit & consecravit antiquitas, va-
„ dere in antra prædonum, cum ipsis au-
„ reis metuendisque fulgoribus: quid enim
„ signa ista, quæ dicunt, habent in se

„ ma-

„ magnum? Ut merito sperarit atque exi-
„ stimarit antiquitas, posse frangi homi-
„ num vitia, & mores & maleficia tem-
„ perari? Falx messoria scilicet, quæ at-
„ tributa est Saturno, metum fuerat inje-
„ ctura mortalibus, vitam vellent ut pa-
„ cificam degere, ac malitiosas abjicere
„ voluntates? Fronte Janus ancipiti, aut
„ dentata illa, qua insignitus est, clavis;
„ riciniatus Jupiter atque barbatus, dex-
„ tera fomitem sustinens perdolatum in
„ fulminis morem; Mercurius pinnatus
„ Argiphontes, Æsculapius baculo; Mul-
„ ciber fabrili cum habitu; Anubis cani-
„ na cum facie? O species formidinum
„ diræ, metuendique terrores! propter
„ quas genus hominum torpedine in per-
„ petua affligeretur, ab omni se actu sce-
„ leroso flagitiosoque frænaret. Falciculæ,
„ claves, caliandria, fomites, talaria,
„ baculi, tympaniola, forcipes, &c. non-
„ ne satius fuerat saltitare, cantare, quam
„ sub titulo gravitatis & securitatis obten-
„ tu tam frigida atque inepta narrare si-
„ mulacra, ab antiquis ad cohibenda pec-
„ cata; & ad nocentium formata; impio-
„ rumque formidines? „ Illas vero omni-
no vanas fuisse ulterius probat Arnobius,
plus scilicet leges hominum ad coercen-
dam malitiam valuisse, quibus debent &
ipsa simulacra, quod incolumia adhuc per-

ſtant, & honoris alicujus conceſſione munita.

Lucæ 12. *v.* 5. *Oſtendam autem vobis, quem timeatis*, ait Chriſtus, *timete eum, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam*. De eodem vere ait Regius Propheta: *Magnus Dominus & laudabilis nimis, terribilis eſt ſuper omnes deos*. *Pſal.* 95.

B A R U C H

C A P. VI. V. 9.

Coronas aureas habent ſuper capita ſua.

ANtiquitus, teſte Plinio lib. 16. nulla corona niſi Deo dabatur: imo ipſum donum diis deſtinatum non erat ſine corona: nam ut Athenæus ait lib. 25. *Sacrificantes id, quod diis offerebant, coronabant*. Lactantius lib. 2. ait: *Poſtquam metus deſævit, & pericula receſſerunt, tum vero alacres ad deorum templa confugiunt, his libant, his ſacrificant, hos coronant*. Cicero ad Atticum lib. 15. ep. 12. *Quod me de Bacchi, de ſtatuarum coronis certiorem feciſti, valde gratum*. In celeberrimis inclytorum Regum pompis, quas Athenæus lib. 5. deſcripſit, multæ Numinum effigies ferebantur, ſed omnes coronatæ. Euripides

des Heracl. act. 1. ait: *Quo vertamur? Quis enim incoronatus Deus?* Hinc illa Apulejana querela: *Caremonia negliguntur, incoronata simulacra*. lib. 2. Metam.

Non capita solum idolorum, sed etiam aliæ subinde partes coronis honorabantur. Salii ad deorum statuas jacere coronas erant soliti. Interdum ad pedes earum ponebantur secundum Poetam:

Ut caput in magnis, ubi non est tangere signis,
Ponitur hic imos ante corona pedes.

De corona Baccho offerri solita vide Augustin. lib. de civit. Dei 4. cap. 10.

Varia erat coronarum materia. Aliquæ ex frondibus fiebant, aliæ ex floribus, ex auro aliæ & argento. Pausanias meminit in Eliacis, Jovem ex auro & ebore factum, & olea coronatum in æde sua sedere. Nota est ex lib. 1. Paralip. cap. 20. aurea idoli Melchom corona, quam David de capite ejus tulit, *& invenit in ea auri pondo, talentum, & pretiosissimas gemmas, v. 2.*

Causa vero coronandi idola sua, Gentibus duplex videtur fuisse. Prima, quod corona symbolum sit summæ authoritatis & potentiæ, quam inesse diis suis credebant. Altera est, ut significarent, non quid mutilum, sed integra & perfecta diis offerenda esse: & hanc suggerit Aristote-

les lib. sympos. idem enim est rem perficere, ac eidem coronam imponere.

Tali modo optandum esset, ut Fideles Christiani verum DEUM semper quærerent coronare: uti enim *DEI perfecta sunt opera*, sic vicissim quæ eidem offeruntur, omnino perfecta esse deberent, *exquisita in omnes voluntates ejus*: secundum illud Christi Salvatoris monitum: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est*.

BARUCH

CAP. VI. V. 10.

Dant ex eo prostitutis, & meretrices ornant, & iterum cum receperint illud a meretricibus, ornant deos suos.

SI ullus unquam, tunc certe hic circulus est vitiosus, dare meretricibus oblatum diis aurum, & illud ipsum ab iisdem iterato diis offerri. Nec mirum ejusmodi circulis scatere religiones Gentium, cum illarum principia sint vitiorum documenta. Quid propudiosius, quam virgines & matronas stupris & adulteriis deorum cultum promovere? Testatur Herodotus, Babylonicas & Cyprias Virgines ante matri-

trimonium solitas esse semel in vita cum altero habere negotium, oblato tamen prius pretio, quod illæ templo Veneris dedicabant; sperantes se utpote Veneri jam dicatas felices nuptias habituras. Confirmat idem Hipponensis Præsul lib. 4. de Civit. Dei cap. 10. *Veneri Phœnices donum dabant de prostitutione filiarum, antequam eas jungerent viris*. Idem asseruit Athanasius in orat. contra idola, ubi idololatriæ originem investigans eam institutam esse ait, *Desiderio eorum, qui stupris & propudiis pleni figmentis repræsentantur*; Itaque sibi turpissimam deorum suorum vitam idolorum cultores imitandam proposuisse. Notissimum e Veterum monumentis, Veneri multis in locis sacras fuisse meretrices, de quibus dictum alibi. Vide Lactant. lib. 1. de falsa relig. cap. 17. proin nemo miretur, quod Strabo lib. 11. de sacris Persarum & Armeniorum in fine scribit de Anatide: *Hæc est Venus in Oriente culta, Armeniorum idolum: illustrissimi ejus nationis filias suas virgines ei dedicant; ac lex est, ut longo tempore apud deam constuprata, deinde nuptum dentur, nemine talis mulieris conjugium dedignante*. Cum vero tres fuerint Veneres, secundum aliquos, & etiam S. Augustinum, cui addunt alii quartam πλουτοδότειραν seu largitricem opum; huic ultimæ imprimis sup-

 pli-

plicabant meretriculæ, ut plus ditescerent. Vide, quæ dicta sunt Deuteron. cap. 23. vers. 17.

BARUCH

CAP. VI. V. 42.

Mulieres autem circumdatæ funibus in viis sedent, succendentes ossa olivarum.

PEr funes illos intelligunt nonnulli serta de juncis & floribus contexta, quibus mulieres istæ cingebant capita sua, teste Herodoto & Strabone, qui ait, eas Thominge, seu vinculo aut funiculo coronatas fuisse. Idem satis insinuat Ovidius lib. 4. Fastor. de mulierculis Veneri sacris, ita canens:

Cumque suo Dominæ data grata Sisymbria myrto,
Textaque composita juncea vincla rosa.

Melius tamen per funes videtur intelligi cingulum, quo corpus suum vinciebant, denotando se virgines esse, sed captas religione & amore Veneris; & hinc a quovis obvio petebant illud solvi, ut quod debebant, Veneri citius possent persolvere. Idem conjugatæ faciebant se deæ isti dicaturæ. Quia vero has inter mulieres

quædam

quædam erant valde deformes, ait Herodotus, eas ſubinde in diverticulis prope templum Veneris ad duos aut tres annos conſediſſe, & procos in tentoriis ſuis expectaſſe. Unde mirum non eſt, contigiſſe ea, quæ in hoc Capite v. 43. referuntur, alteram ſcilicet, quæ cum tranſeunte aliquo convenerat, exprobraſſe alteri, quod non digna ſit habita, ſicut ipſa, neque funis ejus diſruptus ſit.

Videntur autem mulieres tam diu relictæ, & funibus circumdatæ ad arcana ſua, id eſt amatoria ſacrificia confugiſſe, ut prætereuntium amorem ſibi conciliarent; atque ita citius ſtatione ſua liberarentur. Sic legitur Dido apud Virgil. ſacra diis inferis magica factura:

Unum exuta pedem vinclis in veſte recincta.

Quia, ut notat Servius, id agitur, ut iſta ſolvatur, & Æneas innectatur. Addit Herodotus, mulieres tales fuiſſe nodis corollisque tempora revinctas. Nodos vero & Serta in veneficiis uſurpata eſſe conſtat ex lib. 4. Æneid. ubi de Eliſa ſacrum factura magicum dicitur:

Intenditque locum ſertis, & fronde coronat Funerea.

Quo inſtrumento uſæ fuerint mulieres, de quibus hic fit mentio, ad conficiendum veneficium ſuum, ex verbis patet ſequentibus:

tibus: *Succendentes ossa olivarum*, id est, nucleos duros, & quasi osseos olivarum. In Græco πίτυρα, Beroaldus apud Henricum Stephan. in Lexico πιτυρὶν vocat ossiculum olivæ. Contritæ olivæ πίτυρα dicuntur, quod furfurum colorem referant, vel quod in olivis contritis sint quasi furfures & excrementa. Sed cur diobolares istæ, quas & genus & forma & opes destituebant, pro philtro seu magico suo veneficio usæ sunt ossibus olivæ? Constat, ab aliis ceram, fila, rhombos, herbas, & præter sacra res abominabiles & infandas amatorio maleficio fuisse adhibitas.

Propertius l. 3. *Illum turgentis ranæ portenta rubetæ,*
Et lecta e sectis anguibus ossa trahunt.

Romani, Virgilio teste, laurum pro oliva urebant quasi amasio supplicantes. Sed magis oliva symbolum est supplicationis, spei, & precum. Hinc Virgil. Æneid. 8. ait:

Velati ramis oleæ, veniamque rogantes.

Et Statius 12. Theb.

Vittata & laurus, & supplicis arbor oliva.

Cremabant autem ossa sive nucleos olivæ, ut flammam concupiscentiæ suæ testarentur, procorumque duritiem mollirent ac incantarent, eos ad se ocyus alliciendo; ne diutius residere opus foret. Simul etiam in crematione ossium supplicabant, ut hospites pariter amore earum æstuare inciperent, & quodammodo torrerentur.

De-

Demum ubi offa erant adufta, trans caput jacta in ventum fpargebantur.

Ex his patet extrema libidinis malitia, ut pro implendis fuis defideriis abjurato Deo ipfius dæmonis petat & exquirat auxilium. Vere Lactantius: *Ex luxuria ut vitia omnia, fic impietas adverfus Deum nafcitur*, lib. 2. cap. 1. Porro philtrum quam fit res diabolica, mentibus corporibufque ut plurimum valde noxia, & quibus remediis adverfus illud uti conveniat, tradit nofter Delrio difquifition. magicarum lib. 3. part. 1. quæft. 3. per 3. fectiones.

BARUCH

CAP. VI. V. 31

Rugiunt autem cla[illegible] [illegible]uo[illegible] ficut i[illegible]

EXemplum [illegible]
[illegible]8. [illegible]
fa[illegible]

pro diis habuere, homines fuisse, præclare & satis fuse Lactantius ostendit lib. 1. de falsa relig. per aliquot capita. Pro se cap. 15. allegat Ciceronem, qui in eo libro, quo se de morte filiæ consolatus est, *Non dubitavit dicere, deos, qui publice colerentur, homines fuisse; quod ipsius testimonium eo debet gravissimum judicari, quod & augurale habuit Sacerdotium, & eosdem se colere venerarique testatur.* Hinc & putabant Ethnici, deos instar hominum ex uno loco migrare in alium. Gigantum Jovi rebellantium tempore deos in Ægyptum migrasse, ibidemque latuisse, Lucianus testatur lib. de sacrificiis. Præterea manducare eos censebant, bibere, vesci nectare & ambrosia. Unde Homerus Iliad. 2. inducit Jovem apud Ægyptios & Æthiopes epulantem cum aliis diis. Et sic facile potuisset contingere, ut ad preces hominum minus attenderent.

Cretenses simulacrum Jovis feruntur formasse sine oculis & auribus; Spartani vero quaternas aures affixisse Jovi & Apollini. Sed quamvis centum addidissent, vera manet Psalmistæ sententia: *Aures habent, & non audient.* Modus clamoris additur: *Sicut in cœna mortui.* Mos imprimis habuit apud Ethnicos, ut ii, qui morientibus vel defunctis adessent, clamorem excitarent. Hinc Ovidius timens, ne sic,

ut

ut in patria fieri solebat, moreretur, ajebat lib. 3. Trist. eleg. 3.

Nec mandata dabo, nec cum clamore supremo
Labentes oculos claudet amica manus.

Causa clamoris erat, vel ut retardarent exeuntes animas, ut apud Propertium lib. 4. Cynthia putabat, cum diceret:

At mihi non oculos quisquam inclamavit euntes;
Unum impetrassem, te revocante, diem.

Vel in corpore animas adhuc delitescentes expergefacerent; ut vult Servius ad lib. 6. Æneid. Plinius in naturali Historia dicit: *Hanc esse causam, ut mortui & calida abluantur, & per intervalla conclamentur, quod solet plerumque vitalis spiritus exclusus putari, & homines fallere. Denique refert quendam suppositum pyræ adhibitis ignibus erectum esse, nec potuisse liberari; unde & servabantur cadavera octo diebus, & calida abluebantur, & post ultimam conclamationem comburebantur*. Ne igitur semivivi adhuc, & in quibus vitæ adhuc aliquid delitesceret, pro mortuis sepulturæ traderentur, consuetudinem hanc ciendi clamorem introduxere. Hinc dicti sunt conclamati, in quibus nulla spes vitæ superesset. Inde quoque ortum videtur proverbium, ut in re qualibet prorsus perdita dicatur: *Conclamatum est*. Imo & moris erat, ipsos

jam

jam mortuos in cœna clamore prosequi, & eorum nomina invocare. Nam Arrianus ita referente Eustatio lib. Ulyss. 9. cum justa defunctis apud Bithynos fiunt, nominatim vocari narrat eorum animas, qui extra fines casu mortui sunt, & invitari ipsos ter, & rogari, ut redeant; quo participes convivii fiant. Confirmat idem Epiphanius in Anchor. Ad sepulchrum ferentes cibum insolenti clamore evocabant defunctos, dicendo v. g. Resurge o Hector, comede & bibe; aut ajebant: Vale. Sic Achillem in funere Patrocli fecisse ait Homerus Iliad. 18. Idem de Ænea in funere Pallantis Virgilius testatur Æneid. lib. 11.

Mihi ferendum est, Gentiles ejulatu lamentabili in suorum funeribus conclamasse; nam *soli infideles solent vivendi spem quasi termino certo circumscribere; ac idcirco mortem pro calamitate ducunt: quoniam id, quod nobis persuasum est, non sperant*: Gregorius Nyssenus. Christianos autem ita instruit Apostolus: *Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contristemini, sicut & cæteri*, (Gentiles scilicet) *qui spem non habent*. Vel si clamare pro defunctis lubeat, magis affectu fiat quam voce. Bene enim observat & monet paulo ante adductus Gregorius: *Sonoram vocem esse, & usque ad divinas aures magnitudine*

In orat. de dormient. in fine.

Epist. 1. ad Thessal. c. 4. v. 13.

Lib. de vita Moysis.

ne sua pervenire, quæ non intentione clamoris, sed puritate cordis sua meditatione concipitur.

BARUCH

CAP. VI. V. 36.

Hominem cæcum ad visum non restituunt, de necessitate hominem non liberabunt.

ARnobius lib. 2. adverſ. Gentiles objicit Ethnicis, quam fuerint dii illorum cum idololatris infirmi, nec unquam virtutes tam mirabiles operati ſint, quemadmodum Chriſtus; & cultores Chriſti; eæque cauſa fuerint tantæ paſſim defectionis a ſuperſtitione, & converſionis ad Catholicam fidem. *Quiſquamne*, inquit, *illorum aliquando verbo uno potuit aut unius imperii juſſione, non dicam maris inſanias aut tempeſtatum furores compeſcere? non cæcis reſtituere lumina; aut ſine luminibus natis dare? non ad vitam revocare defunctos; ſed quod leviſſimum multo eſt, furunculum, ſcabiem, aut inhærentem ſpinulam collo una interdictione ſanare?* E contra quot & quanta in Chriſti Eccleſia facta ſunt ſingulis ſæculis, & adhuc fiunt hodiedum miracula, ſigilla quædam, & Divina

vina veræ religionis testimonia? A quibus non malis, Sanctorum patrociniis, liberati sunt homines? Quo cum fructu, enarrat Arnobius loco citato: *Virtutes sub oculis positæ, & inaudita illa vis rerum, vel quæ ab ipso (Christo) fiebat palam, vel ab ejus præconibus celebrabatur in Orbe toto, eas subdidit appetitionum flammas, & ad unius credulitatis assensum mente una concurrere gentes & populos fecit, & moribus dissimillimas nationes; ipsam denique apud dominam Romam, in qua cum homines sint Numæ Regis artibus atque antiquis superstitionibus occupati, non distulerunt tamen res patrias linquere, & veritati coalescere Christianæ.*

Quod Arnobius olim Gentibus, idem nos Catholici modo possumus objicere hæreticis. Quis eorum (ut Erasmus illis exprobrat) vel claudicantem equum curavit? Potius cum Tertulliano lib. de præscriptionibus dixeris: *Agnosco maximam virtutem hæreticorum, qua Apostolos in adversum æmulantur; illi enim de mortuis vivos suscitabant, isti de vivis mortuos faciunt.* Adde, si vis, e Tertulliano, Apostolos cæcos illuminasse, hos, videntes oculis luminibusque privasse. Id verum esse comperies apud Gregorium Turonensem lib. 2. historiæ Francorum cap. 30. ubi refert, quam ægre tulerit de Cirola Ariano-

norum Episcopus, Catholicos Antistites virtutibus & miraculis claruisse, ac proinde voluisse ex composito ementitum cæcum illuminare, quem pro miraculo excœcavit.

Dicet aliquis, apud Gentiles etiam patrata fuisse miracula; nam tabula, quæ Romæ in templo Æsculapii suspensa literis Græcis notata in Latinum conversa, hæc habet: *Valerio Apro militi cæco oraculum reddidit Deus: veniret, & acciperet sanguinem ex gallo albo, admiscens mel, & collyrium conficeret, & tribus diebus uteretur supra oculos; & vidit, & venit, & gratias egit publice Deo*. Tradiderunt quoque Authores gravissimi, postquam Vespasianus excremento oris genas cæci & orbes oculorum respersit, subito visum illi fuisse restitutum. Idem fertur manu ægrum pede suo calcatum morbo solvisse. Quin & Spartianus memorat, fœminam cœcam lumen recepisse, quod genua Adriani fuisset exosculata. Sed verosimilius est, sub adulationis specie fucum populo factum esse, a quo accepta ejusmodi miracula Authores in literas miserunt. Credibile enim est, Imperatores, ut quandam de se divinitatis opinionem excitarent, & Apotheosin post fata facilius consequerentur, subornasse aliquos, aut ab aliis, qui hoc pacto eos sibi demereri volebant, subornatos, ut se claudos v. g. aut cæcos fingerent, & ad Imperato-

rem accedentes palam profiterentur, ab eodem visum sibi aut pedes esse restitutos. Eandem merentur glossam, quæ superius ex tabula Æsculapii de Valerio relata sunt: finxisse scilicet sacerdotes talia, ut majorem diis suis potentiam & authoritatem conciliarent: notissimum enim est, Gentiles propagata Christianorum religione & fama miraculorum ubique celebri, nihil habuisse antiquius, quam similia de diis suis & sacerdotibus in vulgus spargere, ne apud suos vilescere inciperent. Ostendit illud præter alios Patres Catholicos prolixe & graviter Eusebius contra Hieroclem, qui (ut colligere licet ex historia Philostrati) cum ipso Salvatore nostro Apollonium Tyanæum impie nimis ausus est contendere. Observandum præterea, quoad beneficia, quæ a diis Gentium, hoc est dæmoniis in speciem miraculi collata referuntur, quod Tertullianus ait in Apologetico de malignis spiritibus: *Benefici plane & circa curas valetudinum; lædunt enim primo, dehinc remedia præcipiunt ad miraculum nova, sive contraria, post quæ desinunt lædere, & curasse creduntur*. Facile enim fuit dæmonibus, Deo ita permittente, ingredi corpora, & occupare, & mox deserere, sic, ut ægra paulo ante, eorum beneficio pristinæ sanitati restituta crederentur. Non debet autem censeri pro

mi-

miraculo, id tollere, quod factum non fuisset, nisi fecisset ille, qui tollit; talis enim nil admiratione dignum agit; sed tantum non agit diutius, quod agere ipse primum cœpit. Nec vim præstat, cum sanat, sed aufert, quam primo intentavit; & intentavit, ut auferret; & aufert, ut in eo divinam virtutem probasse credatur, in quo suam diminuit, & nihil minus, quam illam probavit.

B A R U C H

CAP. VI. V. 56.

Non a furibus, neque latronibus se liberabunt.

JUre irridet Arnobius Rhetor Africæ celeberrimus Gentiles L. 6. quod deos colant tam debiles & infirmos: *Cur*, inquit, *eos sub validissimis clavibus, ingentibusque sub claustris, sub repagulis, pessulis, aliisque hujusmodi rebus custoditis, conservatis, atque habetis inclusos? Cur canes in Capitoliis pascitis? Cur anseribus victum alimoniamque prabetis? Quinimo, si fiditis, deos isthic esse, nec a signis uspiam simulacrisque discedere, permittite illis curam sui. Indigna enim res est, & potentiam*

destruens authoritatemque summorum, custodiam Numinum canum solicitudinibus credere; & cum aliquam quaeris formidinem furibus, non ab ipsis petere, sed in anserum ponere & collocare gingritibus. Idem Gentilibus exprobrat Justinus Martyr: *O vos stupidos! qui ab hominibus obscaenis deos, quos adoratis, fingi refingique creditis, & his similes sacerdotes aedituosque constituitis, nec advertitis, quam nefarium dictu cogitatuque sit, deos custodiri a mortalibus*. Antiochum Cyzicenum ferunt decem cubitorum Jovem ex delubro aureum sustulisse, & ex aere bracteolis substituisse fucatum. Si in simulacris praesto sunt atque habitant dii suis; quibus negotiis Jupiter, quibus curis fuerat illigatus, quo minus privatas subsequeretur injurias, & suppositum se sibi in viliore materia vindicaret? Ubi Apollo divinus, cum a piratis maritimisque praedonibus exspoliatus ita est & incensus, ut ex tot auri ponderibus ne unum quidem habuerit scrupulum, quod hirundinibus hospitis ostenderet?

In Apologia 2. pro Christianis.

Valerius Maximus lib. 2. cap. 2. narrat de Dionysio Syracusis genito, quod sacrilegia sua jocosis dictis prosequi, voluptatis loco duxerit. Fano enim Proserpinae spoliato Locris, cum per altum secundo vento veheretur, ridens amicis, *Vi-*

de-

detisne, ait, *quam bona navigatio ab ipsis diis immortalibus sacrilegis tribuatur?* Detracto etiam Jovi Olympio magni ponderis aureo amiculo, quo eum tyrannus Hiero e manubiis Carthaginensium ornarat, injectoque ei laneo pallio dixit: *Æstate grave esse aureum amiculum, hyeme frigidum, laneum autem ad utrumque tempus anni aptius*. Idem Epidauri Æsculapio barbam auream demi jussit, quod affirmaret: *Non convenire Patrem Apollinem imberbem, ipsum barbatum conspici*. Victorias quoque aureas, & pateras, & coronas, quæ simulacrorum porrectis manibus sustinebantur, tollebat, *& eas se accipere, non auferre dicebat, perquam stultum esse argumentando, a quibus bona precamur, ab his porrigentibus nolle sumere*. Et hunc Dionysium subjungit Valerius debita sacrilegiis suis supplicia non exsolvisse. Ex his liquet veritas supradicti versus: *Non a furibus neque latronibus se liberabunt*. Paucis, omnia, quæ in hoc Capite a Propheta referuntur, eo collimant, ut constet omnibus, quam Dii Gentium sint miseri, turpes, infirmi, & abominabiles; sed magis illi, qui divinis eos honoribus prosequuntur. Certe Gentiles ipsi vanitatem idolorum agnoverunt. Hinc in præsenti Capite versu 4. dicitur, quod Chaldæi ipsi illa non honorarint. Satis Platoni & Socrati

innotuit, quam vana & superstitiosa foret Ethnicorum religio. De Cicerone testatur Arnobius, quod ita confutarit deorum & superstitionum falsitatem, & Religionem pariter Christianam stabilierit, ut judicarint, qui idololatriæ observantiores erant, libros illius ex oculis hominum manibusque submoveri oportere. Juvat Arnobii verba proferre in medium: *Tullius Romani disertissimus generis nullam veritus impietatis invidiam, ingenue, constanter & libere, quid super tali opinatione sentiret, pietate cum majore monstravit, a quo si res sumere judicii veritate conscriptas, non verborum luculentias pergeretis, perorata esset & hac causa, nec secundas, ut dicitur, actiones nobis ab infantibus postularet.* Tum subjungit fuisse, qui libros ejus fugerint, nec in aurem voluerint admittere lectionem opinionum suarum præsumpta vincentem; dixerintque, oportere statui per Senatum, aboleantur ut hæc scripta, quibus Christiana religio comprobetur, & vetustatis opprimatur authoritas.

Sed ad textum redeundo, *non a furibus neque latronibus se liberabunt*. Posset Gentilis objicere, Deum Judæorum etiam subinde non liberasse populum suum a servitute, Arcam fuisse captam ab Allophylis, vastatum templum, & quæ non sacrilegia mansisse non raro hic impunita! Nec tamen

men ideo Deum ab ipsis censeri impotentem. Sed facilis responsio est, hæc non contigisse DEI impotentia, sed voluntate: minatus est enim non semel populo suo maledictiones horrendas, & afflictiones maximas, si a cultu veri DEI ad idololatriam deflecteret. Lib. Reg. 3. cap. 9. v. 6. *Sì aversione aversi fueritis vos & filii vestri non sequentes me, sed abieritis, & colueritis deos alienos, &c. auferam Israel de superficie terræ, quam dedi eis, & Templum, quod sanctificavi nomini meo, projiciam a conspectu meo, eritque Israel in proverbium, & in fabulam cunctis populis.* Confirmat idem VValfridus lib. de rebus Eccles. cap. 3. ubi ait: *Propter peccata hominum loca sacra a DEO negligi, testis est Arca ab Allophylis capta, Templum toties eversum vel profanatum, & multa Christianorum Basilicæ a Barbaris vastata. Non poterat*, quærit Rupertus, *Deus Templum suum illæsum custodire? Plane poterat, sed erudiendus erat mundus, ut sciret, quod Deus Excelsus non pulchris lapidibus delectetur; sed fide, charitate, & mundis affectibus.*

L.6. de victor. Verbi Dei c.5.

EZECHIELIS

CAP. VIII. V. 3.

Ubi erat ſtatutum idolum Zeli ad provocandam æmulationem.

AN Zelus ſit idoli alicujus nomen, an vero ab effectu ſit ita appellatum, quod Deum irritaret, incertum videtur. S. Hieronym. cenſet, fuiſſe idolum Baali; nam pro eo quod in vulgata editione habetur, ad provocandam æmulationem, in Hebraico legitur Makneh, quod Septuaginta vertunt poſſidentem, vel dominum, qualis habebatur Baal. L. 2. Paralip. cap. 34. legitur, Joſiam idolum Baal, quod in templo Manaſſes poſuerat, abſtuliſſe, & poſtmodum videtur idolum illud fuiſſe repoſitum in Aquilonari parte Templi; & cum in ea regione offerrentur victimæ & holocauſta, ut Prado ait, mirum non eſt, Deum ad æmulationem provocatum eſſe, dum videret viciniam altaris ſui idoli tam nefandi ignominia profanari. Maldonatus ait, idolum excitaſſe Deum ad zelotypiam, ſicut adulter verum maritum ſolet concitare. Idem exemplum Div. Thom. de zelo agens allegat, 1. 2. q. 28. art.

art. 4. Sicut maritus zelat uxorem, ne per consortium aliorum impediatur singularitas, quam in uxore quærit; ita Deus magis quæsivit & zelavit in populo suo singularitatem, ut se unum colerent & adorarent; cum verus Deus non possit in se esse multiplex, aut partes aliquas habere. Hinc Prudentius Deum ipsum contra Symmachum loquentem sic proponit l. 2. contra Sym.

Tu me præterito meditaris Numina mille,
Ut me per partes minuas; cui nulla recidi
Pars aut forma potest; quia sum substantia simplex.

Et Lactantius lib. 1. cap. 30. *Deus, quia perfectus est, non potest esse nisi unus, ut in eo sint omnia; quidquid enim capit divisionem, & interitum capiat necesse est.* Idem de iis dixeris, qui plures credunt, & venerantur, secundum illud Oseæ: *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.*

Quare age mortalis, soli mihi construe templum,
Meque unum venerare Deum.

Prudentius supra.

EZECHIELIS

CAP. VIII. V. 14.

Et ecce! ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem.

PRæter omnigenas deorum effigies in templo a sacerdotibus quasi in quodam Pantheo collocatas, conspexit Ezechiel ad portam Templi Aquilonarem mulieres solennibus lamentis plangentes Thamuz, quem fuisse Adonidem probant communes utrique in sacris cæremoniæ, communis mensis utrique dedicatus, communes planctus & lamentationes; ob quas Adonis ab Orpheo δακρυόπλο dictus est, isque fingitur fuisse filius Cinaræ Cypriorum Regis, Venerisque Amasius, cum juvenis esset pulcher; sed apri dente occisus; quem Venus postmodum jugi planctu prosecuta est, habens pro solatio metamorphosin Adonidis in florem.

De imagine ejus ac statua ita scribit Macrobius: *Pingitur Adonis capite obnupto, specie tristi, faciem manu læva intra amictum sustinens; lacryma visione conspicientium manare creduntur.* Ajunt enim R. Salomon & R. David, idolum Tammus, aut Ado-

Adonidis fuisse concavum, cujus oculos plumbo implebant, quod accenso intus igne liquefiebat, atque ita imago flere videbatur. Quanquam non imago, sed colentes eam in præsenti Capite legantur flevisse. Maximus fere Adonidis cultus per planctum fuit in regionibus Palæstinæ proximis, & in monte Libano fertur effigies fuisse Veneris Adonidem plangentis. De annuo ejus festo & planctu ita Ovidius lib. 11. Metam. sub Veneris persona:

------ Luctus monumenta manebunt
Semper Adoni mei, repetitaque mortis imago
Annua plangoris peraget similamina nostri.

Addit Lucianus in dea Syria: *Postquam verberandi & plorandi finis factus est, primum quidem Adonidi tanquam defuncto inferias agunt. Postea vero altero die eum vivere fabulantur, & in aerem mittunt, & capita detondent, ut Ægyptii, cum mortuus est Apis*, sive Osiris; & hunc cum Adonide eundem fuisse censet Kircherus noster, ita dicens: Quod Ægyptiis est Osiris a Typhone interfectus, ab Iside & sodalibus ejus deploratus, hoc Phœnicibus & Syris est Adonis ab Apro occisus, a Venere & Proserpina deploratus, & ab inferis revocatus. *In Oedipo Ægyptiaco.*

Tempus, quo anniversaria Adonis solennitas celebrabatur, indicatur per ipsum nomen

men Adonis lingua Hebraica, Chaldaica & Syriaca expressum, quod est Tammus, & idem est ac Junius: in eo enim mense occisus credebatur, eidemque sacrificium in planctu maxime consistens fiebat: & inde mensis Junius dictus est Tammuz, uti Februarius a sacrificiis lustralibus, quæ Februa vocabantur.

Involucrum hujus fabulæ evolvit Macrobius, & hanc veritatem physicam sub ea latere refert. Adonis Sol est, ajunt Ægyptii; Aper lutulentus, hyems; Venus, pulchritudo terræ in vere, quæ deplorat Solis absentiam per Hyemem; Sol enim dum a nubibus excipitur, quasi ab Apro pulcher Adonis conficitur. Adonis vero reviviscens cum lætitia susceptus a Venere, est Sol Vernus, a terra jam pridem expetitus, & cum gaudio exceptus.

Alii censent, & imprimis enarrator Theocriti, Adonim tritici semen esse: ut enim Adonis per sex menses apud Proserpinam, per alios sex apud Venerem fuisse fingitur, ita & semen per sex menses quasi mortuum sub terra tegitur, per alios sex Veneris seu caloris & humoris beneficio quasi reviviscit, & in lætum germen, florem, fructumque erumpit.

Forte sub fictione illa significare Veteres voluerunt fluvium illum, qui Adonis vocatur, & per amœnissima loca montis Li-

Libani defertur, & ex iisdem per campos in mare labitur. Quod autem fluvius ille quotannis cruore infici dicatur, magnamque pelagi partem cruentare, *hæc quidem vulgo dictitant*, ait Lucianus, aliam caussam ex homine quodam Byblio afferens, quod scilicet venti exorientes terram minio simillimam in fluvium deferant. *Ita non sanguis, quem ajunt, sed terra hujus rei causa est*.

In sensu morali significatur dolorem ex voluptate nasci, secundum illud Proverb. 14. *Extrema gaudii luctus occupat*. Hinc volunt aliqui, quod Adonis a Græco nomine ἡδονὴ proveniat, quod voluptatem significat. ὀδύνης idem est ac forma doloris vel planctus: quo nomine, ut refert Fulgentius lib. 1. Mythol. Syrophanes idolum filii sui vocavit, cujus mortem deplorabat; quod idolum Prado censet fuisse omnium primum, secundum dicta Sap. 14. Forte ab Hebræo Adonai nomen Adonis Ægyptii formavere; nam Adonai oni idem Hebræis est, quod Dominus doloris; ut Benoni, filius doloris. Umbram citius a corpore separaveris, quam dolorem a voluptate. Bene id Romanis notum erat; hinc in eadem ara judicarunt collocandum esse simulacrum Doloris, & Volupiæ. Et ut Adonis fluvius per amœna prati spatia jucunde fluens, postmodum rubro

bro infectus colore, dum in mare fluit, non nitorem solum & jucunditatem, sed ipsum adeo nomen perdit; sic & voluptas plus fellis in fine invenit, quam mellis ante gustarit. Proin illam abeuntem potius spectandam esse, monet Philosophus, quam venientem.

EZECHIELIS

CAP. VIII. V. 16.

Adorabant ad ortum Solis.

INter cæteras cæremonias in oratione ab Ethnicis adhiberi solitas erat adoratio ad ortum Solis. De eadem passim in veterum Scriptorum monumentis plura extant exempla, & luculenta testimonia. Tacitus l. 3. historiar. memorat, usitatum Syris fuisse, solem orientem salutare. Idem refert Herodianus l. 4. de Parthis, & Plato l. 10. de Legibus: *Oriente Sole & Luna, iisdemque occidentibus in terram inclinationes & adorationes fiunt Græcorum, & omnium Barbarorum.* Historicis concinunt Poetæ. Primo Ovidius l. 4. Fastorum:

Hæc dea placanda est, hac tu conversus ad ortum
Dic quater.

Se-

Secundo Virgilius l. 4. Æneid.

Surgit, & atherei spectans orientia Solis
Lumina, rite cavis undam de flumine palmis
Sustulit, ac tales effudit ad athera voces.

Item l. 12.

Illi ad surgentem conversi lumina Solem
Dant fruges manibus salsas, & tempora ferro
Summa notant pecudum, paterisque altaria libant.

In hos versus ita commentatur Servius: Non utique Solem surgentem dixit; jam enim dudum dies erat, sed disciplinam cæremoniarum secutus est; ut orientem Solem spectare diceret, qui esset precaturus. Mirum est, quod Solinus refert, & cum eo alii, ne Solinus solus id dixisse credatur, Elephantes Luna splendente gregatim omnes fluvium petere, ac mox aqua aspersos, purgatosque Solis exortum certis gestibus salutare, proboscidem scilicet quasi manum adversus Solis radios allevando, ut Ælianus ait l. 7. c. 44. Tertullianus in Apologet. adv. Gentes ait: *Sed & plerique vestrum in affectione aliquando, ut cœlestia adorandi ad Solis ortum labia vibratis.* Lat. Pac. Drepanius Gallus in Panegyri, quam dixit Theodosio Augusto: *Nam ut divinis rebus operantes in eam cœli plagam ora convertimus, a qua lucis exortus est; sic ego*

vota

vota verborum, quæ olim nuncupaveram, ſoluturus, id orationi tempus afficiam, quo Romana lux capit. Ad eundem finem monuit & ordinavit Vitruvius, ut in æde ſacra id obſervetur maxime, ut ædis ſignum, id eſt Dei, cui locus ille ſacer eſt, Solem ſpectet occidentem, ut qui converſi ad ſignum, contrario videlicet aſpectu, adoraturi ſunt, regionem ſpectent orientalem.

Cauſa converſionis adorantium ad Solis ortum illa videtur Ethnicis fuiſſe maxima, quod paſſim Solem ut deum coluerint. Ægyptii ſub nomine Oſiridis, ut Macrobius ait l. 1. Satur. c. 21. Perſæ ſub Mythræ nomine, Græci ſub nomine Apollinis. Imo teſtatur Macrobius l. 1. Satur. c. 17. omnes deos ad Solem referri; id quod Kircherus noſter confirmat ex Mercurio Triſmegiſto aſſerente, quod omnes alii dii Oſiridem conſtituant, & πολυωνυμία in uno Oſiride repræſentata nihil aliud ſignificet, niſi unius Solis multiplicem & variam virtutem, quam in inferiorem mundum obtinet. Videntur etiam Gentiles per matutinas ſalutationes primam diei horam diis nuntiaſſe, quaſi dormientes prima luce vellent excitare: id quod Arnobius indicat l. 7. *Quid ſibi volunt excitationes illæ, quas canitis matutini collatis ad tibiam vocibus? Obdormiſcunt enim ſuperi, remeare ut ad vigilias debeant.*

Ne

Ne in hanc idololatriam Judæi inciderent in Palæstina, jussit Deus, Sanctum Sanctorum erigi ad occidentem. Hinc ad Sanctum Sanctorum conversi ad occidentem orabant: proin recte visi sunt ab Ezechiele seniores illi ad ortum Solis dorsa sua contra Templum vertentes.

Per hoc tropologice significatur, ait Theodoretus, eos, qui se dedicare volunt DEO, debere terga vertere Orienti, id est pompis, quæ in hoc mundo oriuntur. Uti econtra ambitiosi adorant orientem Solem in novis Principibus, quibus adulantur, ut epulentur, se incurvant, ut eleventur, blandiuntur, ut quod volunt, eblandiantur.

Ritus sunt non pauci, quos Catholici cum Ethnicis communes habuere; cum enim secundum se fuerint adiaphori, nec periculum idololatriæ post se amplius traxerint, licite ob bonum ac laudabilem finem fuere usurpati. Talis erat oratio ad Orientem a primis Christianis longo tempore observata. Origenes, Justinus, & Basilius ajunt, traditionem esse Apostolicam, ad Orientem orare. Sed quibus inducti sunt rationibus ad sic orandum?

1. Quia ad Orientem fuit Paradisus. Hanc causam assignat S. Chrysostomus, & Theodoretus; si enim Judæi in Babylone captivi ad Jerusalem conversi oraverunt,

non ſine dolore exilii, & reditus deſiderio; quis vitio vertat cunctis Adæ poſteris, illuc ſæpius reſpicere, unde ejecti ſunt; & ad eam, quam perdiderunt patriam, dum orant, ſuſpirare?

2. Cum Chriſtus ita cruci ſuffixus fuerit, ut facie ab Hieruſalem averſa Occidentem ſpectaret, quemadmodum Sol oriens; Hinc ad Orientem verſa eſt prima Chriſtianorum ætas, dum oraret, ut ſpecies Crucifixi ante oculos ſemper videretur obverſari. Teſtis eſt Joannes Damaſcenus Orthod. Fid. l. 4. c. 13. *Dominus cum in cruce penderet, ad occaſum proſpiciebat, eoque nomine ita adoramus, ut eum obtueamur*. Hinc manavit vetus mos templa conſtruendi ad Orientem, in quibus imago Crucifixi in Occidentem proſpectabat, quam qui colebant, Orientem neceſſario aſpiciebant.

3. Talem ſitum verſus Orientem exigit converſatio Chriſtiana, principi tenebrarum contraria. Hinc ait Ambroſius de iis, qui myſteriis initiantur c. 2. *Ad Orientem converteris: qui enim renuntiat diabolo, ad Chriſtum convertitur, illum directo cernit obtutu*. Eundem in finem olim baptizandus, ut renuntiaret diabolo, Occidentem verſus ſtatuebatur, & ſic poſitus renuntiantis verba proferebat; & idem poſtea Chriſtum Dominum profeſſurus, ad Orientem

ver-

versus id totidem vicibus faciebat. S. Dionysius, & Cyrillus Catech. 1. Mystag.

4. Quia cum Sole prima beneficia DEI, simul quasi illo die nobis orientis excipimus, quibus ut novo semper grati animi affectu respondeamus, vel ipse corporis situs monere nos potest, & Solis respectus. Hinc bene Sapiens monet c. 16. v. 28. *Quoniam oportet prævenire Solem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare;* nam, ut exoriens Sol major apparet æque, ac mitior, propitiorque, ut qui se conspici fixis oculis permittat; si vero paulo superius conscenderit, omnino arcet læditque humanos oculos; ita plures gratias & favores illis promittit cœlestis Sapientia, qui ad se diluculo vigilaverint.

5. Quia ex Scripturis docemur, Orientis locum & nomen a Christo amari specialiter & præeligi. *Stabunt pedes ejus in die illa super montem Olivarum, qui est contra Jerusalem ad Orientem*, Zachar. 14. Item Psalm. 67. ascendisse legitur *super cælum cæli ad Orientem*. Etiam secundus Christi adventus ab Oriente expectatur, secundum illud Matth. 24. *Sicut fulgur exit ab Oriente; ita erit adventus ejus.* Lucæ c. 1. Christus ipse *Oriens ex alto* vocatur, lucem veritatis nobis afferens. Hinc ait S. Clemens Alexand. 7. Strom. 4. *Iis, qui versabantur in ignoratione, exortus est*

dies cognitionis veritatis: ea ratione ad orientem Solem fiunt orationes.

6. Allegat D. Thom. 2. 2. quæst. 84. art. 2. ad 3. propter Divinæ Majestatis indicium, quod nobis manifestatur in motu cæli, qui est ab Oriente. Ad eandem rationem facit, quod Justinus Martyr ait quæst. 118. *Quoniam nostrorum honorabilissima quæque ad DEI honorem seponimus, & est hominum opinione Solis ortus honorabilior, quam aliæ partes mundi: propterea tempore precum spectamus omnes ad Orientem; quemadmodum dextra manu in nomine Christi consignamus eos, qui hoc signo egent: quia honorabilior existimatur, quam sinistra; sic & ortus tanquam mundi pars honoratior adorationi est destinatus, & quidem a sanctis Apostolis*, ut ipse Justinus asserit eodem loco.

In quæstionibus ad orthodoxos.

Piæ fuerunt hæ & sacræ intentiones, quæ primos movere Christianos, ut, cum templis carerent, illud cæli spatium eligerent, quod non parvum foret pietatis incentivum. Verum ut nullum opus Religionis adeo sanctum & purum est, cui non quærant suos furfures immiscere dæmones, ita videtur ritus ille in abusum aliquem & perversum modum Priscillianistis & Gentibus communem deflexisse, ut colligere licet ex serm. 7. de Nativit. S. Leonis Papæ, in quo valde con-

que-

queritur, quod Christiani converso corpore ad nascentem se Solem deflectant, & curvatis cervicibus in honorem se splendidi Orbis inclinent, quod fieri partim ignorantiæ vitio, partim paganitatis spiritu multum tabescimus & dolemus; quia etsi quidam Creatorem potius pulchri luminis, quam ipsum lumen, quod est creatura, venerentur, abstinendum tamen est ab hujusmodi specie officii: *Vetemus igitur salutationibus matutinis fungi*, ait Seneca, *& foribus assidere templorum. Humana ambitio istis officiis capitur. Deum colit, qui novit*. Epist. 95.

EZECHIEL.

CAP. VIII. V. 17.

Ecce! applicant ramum ad nares suas.

APplicant ramum, Hebraice Zamora, quod interpretantur aliqui, esse canticum, alii fœtorem; complures magis proprie ramum. Inter cæteros Gentilium sacrorum ritus & hic erat, ramos naribus applicare, non qualescunque, sed quibus vel ornabantur aræ, vel coronabantur victimæ, aut ipsi etiam adorantes; quod fuisse usitatum idololatris, ex sacris & profanis

constat literis. Sic Arcades in sacris Herculis se coronasse populeis frondibus ait Virgilius Æneid. l. 8.

- - Herculea bicolor cum populus umbra
Velavitque comas, foliisque innexa pependit.

Et l. 6. de Numa apud Romanos:

Quis procul ille autem ramis insignis oliva
Sacra ferens.

Quid? Quod templa ipsa legamus fuisse coronata? Virgil. l. 2.

Nos delubra deum miseri, quibus ultimus esset
Ille dies, festa velamus fronde per urbem.

Arnobius l. 7. adv. Gentes addit: *Etiam dii sertis, coronis afficiuntur & floribus.* Hinc pronum est judicare, Judæos idololatras ramos gestasse manibus, idolis consecratos, aut impio victimarum sanguine, vel scelerato aliquo libamento conspersos ad nares applicasse. Legere est apud Æschylum, quod Senior quidam e choro monuerit mulieres supplicantes, ut manu caperent ramos albo, id est, alba lana coronatos. Eædem manu dextra retinebant statuas Numinum, sinistra supplices ramos. Porro rami illi a supplicantibus frequenter movebantur; erat hoc signum animi intentius rogantis.

Quæ-

Quæri hic posset, cujus arboris ramus ille fuerit, cujus fit mentio præsenti Capite? Cum jam dictum sit, seniores illos ab Ezechiele visos adorasse ad ortum Solis, credibile est Solem ipsum fuisse adoratum. Uti vero diis quibusdam certæ plantæ, aut arbores sacræ erant; uti Pani pinus, Sylvano & Diti cupressus, Isidi abrotonus, ita Apollini vel Soli laurus. Hinc eidem sacrificabant redimiti &c. tempora lauro. Sic legitur, Athenienses habuisse diem festum ramorum, quo in Bacchi honorem tenues ramos ex vite imprimis præferebant. Uti vitis grata erat & dicata Baccho, sic laurus Soli. Hinc Virgil. Eclog. 7. canit: *Gratissima cælo laurea.* Et Ovid. *Laurus Apollinea* ac *Phœbæa.* Ut enim Sol est igneus, sic laurus igneæ naturæ esse dicitur. Ideo ferunt Empedoclem dicere solitum: Si hominibus in plantas transmigrandum foret, in nullam melius, quam in laurum transituros; quia animam credidit esse igneam. Sane Plinius l. 16. c. 29. tradit, ignem facile ex lauro elici. Origo Solem cum ramo venerandi, ex Æliano potest colligi; ait enim ipse variarum historiar. l. 3. ex relatione Thessalorum, Apollinem ex mandato Jovis purgatum, Pythonem serpentem jaculis interemisse, qui oraculum Delphis habebat, sed Jovis ac Latonæ filium ex lauro Tem-

pica coronatum, & ramo ei in dextram ſumpto ex ipſa lauro veniſſe Delphos, & oraculum occupaſſe.

Forſan etiam olivæ ramus fuit, quem ad nares applicarunt; tam enim ramus olivæ, quam lauri apud Gentes inſigne fuit ſupplicum. Sic Livius l. 9. Decad. 3. refert, decem legatos Locrenſium velamenta ſupplicum, ramos oleæ, ut Græcis mos eſt, porrigentes ante tribunal cum flebili vociferatione humi procubuiſſe. Demoſthenes quoque de Athenienſibus refert, eoſdem olivam præferentes ſupplicare ſolitos. Virgilius quoque l. 2. ait: Oratores adveniſſe ex urbe Latina ramis oleæ velatos, & veniam rogaſſe; Ubi Servius notat, non coronatos veniſſe, quod lugentes non decebat; ſed in manibus tantum ramos prætuliſſe, quod erat miſerantium. Accedit, quod oliva ſymbolum ſit miſericordiæ, quam ſupplices ſperabant.

Joſephus l. 3. c. 10. docet, Judæos ſolitos in gratiarum actionem ſacrificare, manibus geſtantes ramos myrti, & palmæ, ex quibus mala Perſica dependebant: ut ſignificarent cor & linguam Deo ſacranda eſſe; nam & fructus & folia in acumen deſinunt, ut lingua & cor. Etiam apud Chriſtianos rami palmarum in uſu ſunt, in memoriam Salvatoris olim Hieroſolymæ ramis palmarum excepti; ut ejuſdem pariter victo-

cto-

ctoriam de mundo, carne, & diabolo cum Sanctis æmulemur in terra, & cum iis tandem in cælo signum fructumque victoriæ referamus. Nam, ut S. Joannes vidit in Apocalypsi sua c. 7. *Et palma in manibus eorum*.

EZECHIEL.

CAP. XXI. V. 2.

Commiscens sagittas.

S. Hieronymus in hæc verba ita commentatur: „ Stabit Rex Babylonis in ipso „ compito, & ritu Gentis suæ oraculum „ consulet, ut mittat sagittas suas in pha„ retram, & commisceat eas inscriptas, si„ ve signatas nominibus singularum urbi„ um; ut videat, cujus sagitta exeat, & quam „ prius civitatem debeat oppugnare. „ Notum satis est, varias fuisse apud Veteres sortium conjecturas, & diversos sortitionum modos: aliqui enim eum in finem utebantur parvis lignis; alii chartulis, literisque; quidam globulis aut lapillis. Vasa etiam, in quæ mittebantur calculi, erant varia. Cicero orat. 4. in Verrem meminit de sortitione in hydriam facta: Virgil. Æneid. 6. in urnam; in Casina Plautus, in si-

in situlam: Homerus Iliad. 8. in Galeam, uti & Virgil. l. Æneid.

Convenere viri, dejectamque aerea sortem
Accepit galea.

Sagittæ, de quibus hic fit mentio, videntur in pharetram fuisse conjectæ, & confusæ: earum tamen provinciarum nominibus signatæ, quas bello tentare Babylonii decreverant; ut quarum sors prima exiret, eædem bello præ aliis peterentur. Usum hunc sortium probabile est militiæ fuisse proprium. Græce βελομαντεία vocatur. Moris etiam erat præmittere in urnam folium oleæ, cui ἑρμῆ Mercurii nomen erat: inde, quod Mercurium præsidere sortibus credebant, & idem folium, cum sors ducenda esset, primo eximere.

Vatablus verba illa, *commiscens sagittas*, vertit, polivit sagittas. Habebant Gentiles genus aliquod divinationis, quod Catoptromanticum vocabant, quo Augures in splendenti cuspide, velut in crystallo: vel in ungue pollicis manus splendente futura inspiciebant & divinabant; & tali modo posset dici, Divinatores ex ferro sagittarum splendente divinasse, qua sit eundum.

Forte hunc morem divinandi a Judæis didicerunt, & perperam imitati sunt Gentiles; si tamen verum est, quod referunt Lyranus, Abulensis, Lipomanus, Ribera
in

in textum illum Deuter. *Pones in Rationali judicii doctrinam & veritatem*. Hebraice Urim & Tummim, & idem eſt, quod luces aut illuminationes perfectæ. Cenſent enim Authores illi, duodecim pretioſos lapides in Rationali dictos eſſe Urim & Tummim, eo quod per hoſce lapides Deus perfectiſſime illuminaret Pontificem, & reſponderet conſulentibus de rebus dubiis aut futuris: ſi enim hæ gemmæ aut lapides pretioſi ſplendorem emitterent, ſignificabant Deum Judæis placatum eſſe, & exitum rei bonum ſperandum eſſe: ſi non fulgerent, ſed obſcurarentur, iratum illis Deum eſſe, & infelicem fore rerum eventum indicabant.

Bona, nec levis Chriſtiano homini conjectura eſt de vita æterna obtinenda, ſi arma ſalutis ſuæ non torporis rubigine obſita, ſed fervore ſpiritus renovata ſemper habeat & polita. Ad hoc ipſum videtur nos adhortari Jeremias Propheta, dum ait c. 46. v. 4. *State in galeis, polite lanceas, induite vos loricis*. Hæc enim militiæ Chriſtianæ inſtrumenta non ſordida indecoro pigritiæ pulvere, ſed uſu continuo magis polita terrorem hoſtibus ingerunt, & victoriam augurantur.

EZE-

EZECHIEL.

CAP. XXI. V. 21.

Exta consuluit.

EXta, seu viscera, aut intestina internæ hostiarum partes sunt, quorum in sacrificiis Gentilium maximus usus fuit. Continentur autem viscerum, ac extorum nomine hepar, lien, cor, renes, splen, ventriculus, &c. Festus dicit, ideo dici exta, quod ea diis prosecentur, quæ extant maxime, & eminent. Ex illorum inspectione solebant Aruspices res & eventus futuros, sive bonos, sive malos prænoscere & prædicere. Jecur vaticinationis istius sedem, & quasi fontem constituebant, quo recte constituto & optime temperato, pro victimæ natura, læta promitti; eo autem vitiato aut mutilato, adversa portendi, opinabantur; hinc & ab illius contemplatione Extispicium incipiebant. Romani divinationes extis proditas tanti faciebant, ut & libris describi rationem consulendi, eosque instar oraculorum custodiri publice, & in ea disciplina suos exerceri a teneris curarint liberos; nihilque alicujus momenti cœperint aut moverint, nisi sacrificiis dili-

gen-

genter perlustratis & examinatis; erant enim persuasissimi, affici victimas, notisque eventorum monitricibus subito ceu consignari ab iis Numinibus, quæ adessent coram vocata, & ritus spectarent; ut ex verbis Arnobii licet colligere: *Cur ergo, e vobis fortasse aliquis dixerit, esse falsos istos deos contendis, si invocati ab Haruspicibus parent, & suis acciti nominibus veniunt, & fidelia reddunt responsa quærentibus?* Tum scilicet, quando pecora primum mactata adhuc vivunt. Imo ut Virgilius ait: *Viscera vivis eripiunt;* & tum Aruspex *reclusis pectoribus inhians spirantia consulit exta*, quasi exta adhuc spirarent, & possent responsum dare. *Et videntur respondere*, ut Donatus citatum Virgilii locum explicat, dum consulentium visibus commissæ signa consultationis ostendunt: illisque gaudium fuisse scribit Arnobius, vidisse ex residuo cæsarum victimarum spiritu exultantia adhuc corda, tremebundasque & palpitantes in visceribus venas. Illustre exemplum ejusmodi consultationis videre est apud Senecam in Oedipo act. 2. scen. 2.

L. 4 adv. Gentes.

L. Æneid. 4.

Porro munus Extispicum & Interpretum ex Etruria plerumque venientium erat, victimas in ara inspicere, considerare, & ex illis, dæmonum artificio, futura præsagire: & ideo Democritus censet, sapienter instituisse Veteres, ut hostiarum immolatarum

rum inſpicerentur exta, quorum ex habitu, colore, ſitu, & aliis ejuſmodi notis, tum ſalubritatis, tum peſtilentiæ ſigna poſſint perſpici, nonnunquam etiam, quæ ſit vel ſterilitas agrorum, vel fertilitas futura. Juvenalis de quodam Aruſpice ita canit:

Spondet amatorem tenerum, vel divitis orbi
Teſtamentum ingens calidæ pulmone columbæ
Tractato Armenius vel Comagenus Aruſpex;
Pectora pullorum rimatur, & exta catelli,
Interdum pueri.

Porphyrius l. 2. de quibuſdam meminit Barbaris, qui etiam per hominum viſcera capere ſolebant augurium, quod Græce ἀνθρωπομαντεία dicitur. Menſa certa in extiſpiciis deſtinata erat, partim hoſtiarum diſſectioni, partim inſpectioni; uti & culter, de quo Ovidius Faſtor. 1.

Hic, qui nunc aperit percuſſi viſcera tauri,
In ſacris multum culter habebat opus.

Culter ille ferreus erat, & oblongus, manubrio eburneo, clavis æneis, ære Cyprio, & capulo argenteo ornatus. Hoc cultro ſacerdos, ſive Aruſpex (neque enim licebat eidem viſcera ipſis manibus contrectare, ne qua offenſa pollutis ſacris intercideret) ſo-

ſolebat viſcera ex corpore hoſtiæ evellere, diligenter eadem explorare ac rimari; quomodo ſingula eſſent affecta, & num quid deeſſet, indeque mala vel bona ſignificabat: v. g. ſi jecur occiſi animalis grata & nativa purpura ruberet, nec eſſet vitiatum; vel ſi caput jecinoris auctum, aut jecur geminum reperiretur; vel ſi extremæ illius fibræ verſus interiora replicatæ viſerentur, ac convolutæ, certiſſimum erat eximiæ cujuſdam felicitatis augurium: & ſi alterum hepatis caput corrugatum emarcuiſſet, coloremque ſuum ac habitum mutaſſet; alterum vero colore florido emarcuiſſet, motuque alacri & continuo micaſſet, ſucceſſus pariter feliciſſimos ſpondere illi cenſebatur, cujus nomine divinatio fiebat. Ita Lucanus notavit, exta Cæſarem contra Pompejum victorem renuntiaſſe:

Quodque nefas, nullis impune apparuit extis.
Ecce videt capiti fibrarum increſcere molem;
Alterius capitis pars ægra, & marcida pendet,
Pars micat, & celeri venas movet improba pulſa.

Trebatius lib. de religionib. obſervat, duplex fuiſſe hoſtiarum genus; alterum animale, in quo ſolenne erat ſolas victimarum animas diis ſacrare; alterum conſulto-

torium, in quo voluntas Dei per exta disquirebatur. Sed quam vana fuerit victimarum observatio, & superstitiosa Gentilium Aruspicina, Cicero ostendit l. 2. de Divinat. ubi contra eam disputat; quanquam enim ipse Augur fuerit, & in disciplina hac exercitatissimus; ait nihilominus: *Licet verum exquirere sine invidia mihi præsertim de plerisque dubitanti*. 1. quod inter se aruspices non conveniant, alios enim alio more videmus exta interpretari, nec esse unam omnium disciplinam. 2. Si in extis est aliqua vis, quæ declaret futura, necesse est, eam aut cum rerum natura esse conjunctam, aut conformari quodammodo Numini deorum. Atqui divina cum natura tanta tamque præclara, in omnes partes motusque diffusa quid habere potest commune, non dicam gallinaceum fel, (sunt enim, qui hæc argutissima exta putant esse) sed tauri opimi jecur, aut cor, aut pulmo? Quid habet naturale, quod declarare possit, quid futurum sit? Hinc de Extispicibus inquit: *Dum Haruspicinam veram esse vultis, Physiologiam totam pervertitis*. 3. Quid? Cum pluribus diis immolatur, qui tandem venit, ut litetur aliis, aliis non litetur? Quæ autem inconstantia deorum est, ut primis minentur extis, bene promittant secundis? &c. Arnobius l. 4. adv. Gentes ita Aruspices insecta-

ctatur: *Possumus obtinere, falsum esse, quod dicitur, vel quod superstitionibus plenissima res tota est; vel quod multas quotidie prædictionum videmus aut aliter cadere, aut in contrarios exitus frustrata expectatione torqueri. Sed sint, ut asseritis, vera, nunquam tamen facietis fidem, Melloniam (verbi causa) vel Limentinum inserere se fibris, & ad rerum, quas quæritis, significantias aptare, &c.* Sed omissis his aliisque veterum Sapientum argumentis, vel hoc solo titulo non contemptibilis solum, sed etiam execrabilis nobis esse debet hæc Gentilium Aruspicina; quod non sine dæmonum commercio inventa sit, instituta, & conservata.

Longe melius & utilius extispicium hominis Christiani est scrutinium & cognitio sui ipsius, a diis ipsis olim credita commendari. Hinc inter cæteras gnomas ante Templum Apollinis & hæc scripta erat: *γνῶθι σεαυτόν*. Nihil hac inspectione ad bona acquirenda, nihil ad mala avertenda efficacius.

EZECHIEL.

CAP. XXVIII. V. 14.

Imagines Chaldæorum expressas coloribus.

LOquitur hic Propheta de intemperantia Jerusalem, quod etiam in absentes, nec de facie notos insanierit; cum enim videret expressas in pariete Chaldæorum imagines, sic in eos exarsit, quos picturæ referebant, ut eorum etiam congressum expetierit. An imagines illæ in ipsa fuerint civitate, vel in locis finitimis, textus non exprimit. Verisimile est Judæos habuisse in ædibus suis virorum illustrium effigies, quibus rerum præclare gestarum memoriam servarent, ut ex eorum moribus & habitu ritus & instituta eorum cognoscerent. Nec hoc lege erat prohibitum, sed tantum, ne ulla imago aut statua ad cultum religiosum & adorationem poneretur. Et quis dubitet, tales fuisse in privatorum ædibus, & quas non alias imagines?
Ezech. 8. Cum in ipso templo, aut ejus pariete universa idola domus Israel in circuitu per totum depicta fuisse legamus.

Videtur etiam veritati propinquius, eas inter picturas fuisse quoque deorum Chaldai-

daicorum imagines, quibuscum fornicari Jerusalem dicitur, phrasi Scripturis usitata, dum eas ut divinas veneratur. Josephus l. 1. Judaic. antiquit. c. 16. testatur, a Chaldæis primum instructos fuisse Ægyptios in Arithmetica, & siderum scientia; hanc tamen ipsi Ægyptii magis perspicuam illustrioremque reddidere, imagines deorum ad stellarum similitudinem efformando, ut Lactant. l. 2. de orig. err. c. 14. confirmat: *Omnium primi, qui Ægyptum occupaverunt, (quos inter Chaldæos ceu magistros fuisse, ex Josephi testimonio potest colligi) cælestia suspicere atque adorare cœperunt. Dum ea sæpius venerantes curiosius atque liberius intuerentur; postea deinde portentificas animalium figuras, quas colerent, commenti sunt, quibusdam prodigiis inducti:* Ita ut merito a Cicerone l. 2. de Divinat. monstra nominata sint, quæ de stellis Chaldæi finxere. Videntur vero per eorum imagines Ignis, Sol, Luna, Lucifer, aliæque stellæ fuisse repræsentatæ. Tales erant pariter effigies Hori, Dionysii, Mercurii, Apollinis, Anubis, Osiridis, Serapidis, Asthartes, Dianæ, Veneris, &c. subinde in memoriam virorum illustrium; sed Apotheosi donatorum figuræ cælestes confictæ sunt, quales erant Beli, Jovis, Herculis, Ganymedis &c.

Porro credibile admodum est, picturas,

ſaltem aliquas fuiſſe turpitudinis illices: ſatis enim ex præſenti capite intelligitur, inſana quadam libidine exæſtuaſſe eos, qui picturas illas fuerant intuiti: proprium enim fuit ac familiare Gentium genio, tales efformare effigies aut ſtatuas, quibus deorum dearumque ſuarum actiones etiam nefandas exprimebant. Teſtatur illud Clemens Alexandrinus l. 3. pædag. C. 11. *Abjecto pudore & metu, domi dæmonum libidines depingunt, &c.* Erat videre tabulas, in quibus penicillo adumbratæ erant deorum ac dearum nuptiæ, fornicationes, ſtupra, adulteria, & convivia, &c. Nec mirum eſt, ſimilia ab Ethnicis expetita fuiſſe, ac perpetrata: *Cum imitatores deorum eſſe pulchrum cuncti autument, religioſiſſimuſque eorum cultus ſit.* Certe turpitudinem deorum honeſtatem ſunt interpretati, nec ſibi vetitum credebant, quod diis licuiſſet, ut apud Ovidium mulier illa impudens:

Lactantius l. 5. inſtit. c. 10.

- - - *Nos cuncta decere*
Credimus, & ſequimur magnorum exempla deorum.

Hinc Cheræa impurus adoleſcens apud Terentium ſtuprum ſibi licitum perſuaſit; viderat enim in tabula pictum Jovem Danaæ ſub ſpecie imbris fucum facientem. At quem Deum? *Qui templa cœli ſumma concutit, ego homuncio id non facerem?*

Acce-

Accedit, quod imagines illæ coloribus fuerint expressæ. De similibus meminit Clemens Alexandrinus in Protreptico: *Tabellis pictis in sublimi positis lascivia thalamos exornant.*

In Veneris tabula summam sibi ponit Apelles,

Canit Propertius l. 3. De Scopa ait Horatius l. 4. od. 8.

Quas aut Parrhasius protulit, aut Scopas,
Hic saxo, liquidis ille coloribus
Solers nunc hominem ponere, nunc Deum.

Solebant autem minio pingi deorum simulacra, quod a Trojanorum tempore in usu fuisse ait Plinius. Aurum enim non tantum lucere, sed etiam ardere videtur, dum minio quasi accensis prunis mistum est. Sic Alexander ab Alexand. l. 4. c. 12. Æthiopum usum esse ait, ut deorum simulacra minio illinerent, illa pro majestate Numinum sanctiora & augustiora arbitrati. Juvenalis Satyra 8. refert Lateranum jurasse

Solam Hippo, & facies olida ad altaria pictas.

Varias scilicet pictas imagines deæ Hipponæ jumentorum & agasonum præsidis. De Pane deo Arcadiæ Virgilius: *In Eucol. Ecl. 10.*

- - - *Quem vidimus ipsi*

Sanguineis ebuli baccis, minioque rubentem.

Ebulum Attich-Staud *virgultum sambuco simillimum.*

Nec Pan tantum minio ob æris (ut tradunt Glossographi) similitudinem pingitur; verum etiam Jupiter: Plinius l. 33. c. 7. Et Bacchus, Pausanias in Achaicis, ac reliquorum deorum simulacra, Brad. l. 3. c. 13. Digna lectu verba Plinii huc transferam: *Invenitur in argentariis metallis minium quoque, & nunc inter pigmenta magnæ authoritatis, & quondam apud Romanos non solum maxima, verum etiam sacra.* Enumerat Auctores Verrius, quibus credere sit necesse, Jovis ipsius simulacri faciem diebus festis minio illini solitam.

Ad hæc infames & obscœnas icones ad vivum depictas quasi sacras speculabantur. Superi! quæ inde flagitia! S. Gregorius Magnus ait: *Dum exteriorum rerum intrinsecus species attrahuntur, quasi in corde depingitur, quidquid fictis imaginibus deliberando cogitatur.* De tali jure dixeris, quod Ecclesiastici c. 38. legitur: *Dabit cor suum in similitudinem picturæ.* Hinc non facile casti sunt judicandi, qui difficulter a lascivis oculos suos continent imaginibus, quamvis exterius modesti & ad speciem probi videantur. *Fode parietem,* dicitur Ezechielis c. 8. *ingredere, & vide abominationes pessimas .... universa idola .... depicta erant in pariete in circuitu per totum:*

quæ

quæ Deo & Superis summam creent nauseam, & maximam aversionem. Procul igitur hinc Aristidis, vel Pausaniæ, aut etiam Nicophanis infames labores, quos meretricios pictores antiqui nominabant: procul depictæ in minoribus tabellis projectæ libidines Parrhasii: apage hoc artificium, quod oculis se vendit, & pudorem eripit. Sanctorum potius Martyrum, & castarum Virginum imagines sub aspectum collocentur, quæ intuentium animos a fœdæ libidinis concupiscentia revocent, & ad amorem Dei purum alliciant & invitent. Ad eum finem tales in templis poni, aut etiam in privatis ædibus suadet & commendat Ecclesia. Narrat S. Gregorius Nazianz. in carmine de virtute, quod citatur a 7. Synodo act. 4. fœminam impuram, cum domum ingressura esset, ut suæ & alterius turpi concupiscentiæ satisfaceret, in ipso limine imaginem conspexisse Polemonis, cujus nota erat atque laudata continentia, sic erubuisse ac mutasse animum, ut confusa & pœnitens domum e vestigio redierit. Eandem vim habuit pia imago Deiparæ gestantis Filium suum, conspecta ab illa Virgine, quæ a Francisco Sfortia, alii dicunt, a Carolo Galliarum Rege VIII. ad scelus solicitata, & jam in lectum abjecta erat, cum diceret: *Per intactam hanc Virginem oro, adjuro, virgi-*

Justus Lipsius l. 1. de Monitis & Exemplis Politicis c. 17. n. 12.

ni mihi parce. Quæ verba ſic lenonem moverunt, ut libidinem jam exſilientem coerceret; & lacrymis etiam profuſis ſolo amplexu proſecutus liberam dimiſerit cum dote quingentorum aureorum. Et ex his patet, pias ejuſmodi & ſacras imagines bene a Catholicis fieri, & conſervari; peſſime vero ab hæreticis aboleri.

EZECHIELIS

CAP. XXVI.

Statuæ tuæ nobiles in terram corruent.

SOlebant Veteres cuſtodire imagines, & ſtatuas Majorum ſuorum factis illuſtrium; & quo erant vetuſtiores ſtatuæ, ita ut vel naſus aut auris vetuſtate obtrita eſſet, eo erant in majori pretio & honore. Hunc morem irridens Juvenalis Satyra 6. ita canit:

----- Quid prodeſt Pontice oſtendere
Et Curios jam dimidios, naſumque minorem
Corvini, & Galbam auriculis naſoque carentem?

Videtur Tyrus, de qua hic Propheta loquitur, urbs antiquiſſima & laudis ſupra modum appetens, tales imagines & ſtatuas ha-

habuisse, quarum ruinam in præsenti capite prædicit Ezechiel. Magnificis columnis & pyramidibus marmoreis nobilem fuisse Adrichomius testatur.

Prado hunc versum de idolis explicat, præsertim simulacris Apollinis & Herculis, non illius, quem Græci decantant; sed alterius multo vetustioris, qui a Luciano Tyrius Heros appellatur. Utriusque simulacra & statuæ magis videntur a Tyriis fuisse culta, ut colligere licet ex Curtio Lib. 4. de vita Alexandri, & ex Plutarcho problem. 16. quæ Tyrii tam anxie custodiebant, ut etiam vinculis illa annecterent. Idem Petronius confirmat, dum ait: *Juvenes adhuc laboris expertes patiemur pannos pati & vincula, statuarum ritu*. Ratio erat, ne hostili carmine dii evocati, aut indignati discederent, quemadmodum apud Virgil. Æneid. 2. legimus contigisse: *De dea Syria.*

Excessere omnes adytis, arisque relictis
Dii, quibus imperium hoc steterat.

Hinc Plutarchus in Rom. ait: Ne dii custodes ab urbe decederent, solitos esse a Tyriis constringi vinculis. A Lacedæmoniis statuas Martis & Apollinis aureis catenis fuisse alligatas testatur Pausanias lib. 3. & Plutarchus. Meminit Curtius lib. 4. cum de obsidione Tyri ageret, & de eodem rerum articulo, in quem tunc redacta erat a Babyloniis, Apollinem Tyri custodem ex-

excessisse ab urbe, & in Alexandri castra transfugisse. Ceterum Tyrus speciatim Herculis Numini erat consecrata: in eadem urbe præter nova deorum templa Rex Hiram fertur statuam Herculi erexisse.

Primas deorum statuas rude lignum aliquod aut impolitum lapidem fuisse, Authores passim tradunt. Unde illud Prudentii: *Deasciato supplicare lapidi*. De Pharensibus ait Pausanias p. 228. quod lapides quadrangulari figura pro diis fuerint venerati, singulis certa deorum nomina tribuendo. Clemens Alexand. l. 1. Strom. narrat, quod Corinthi deorum simulacra fuerint columnæ pyramidis instar teretes. Sic Apollo Vicanus columna erat in acutum desinens, seu turbinata, in vestibulis ædium. Arnobius lib. 6. *Videtis Arabas informem lapidem coluisse, lignum indolatum Carios pro Diana, Pessinuntium, silicem de cælo lapsum pro deorum matre*. Et hanc cæcam parentum superstitionem secuti filii, ut Aurelius Prudentius ait:

Sacratumque domi lapidem, consistere parvus
Spectarat, matremque illic pallere precantem;
Mox humeris positus nutricis, trivit & ipse
Impressis silicem labiis, puerilia vota.

Junoni Argivæ lignea columna posita erat,

rat, coronis fimbriisque exornata; nam & moris erat, ut testis est Lycophron, patria deorum simulacra vestibus ornare, peplis, lunulis, coronis, &c. & unguentis delinere. Tertullianus in Apologet. quanto distinguitur a Crucis stipite Pallas Attica, vel Ceres farrea, quæ sine effigie rudi palo & informi prostat. Lucanus lib. 3.

------ *Simulacraque mœsta deorum*
Arte carent, cæsisque extant informia truncis.

Successu temporis, mirabili artificio deorum statuæ fuere elaboratæ, ex auro, argento, ære, ebeno, ebore, marmore, aut alia pretiosiore materia. Jure Tertullianus irridet Ethnicos deorum statuas venerantes in Apologet: *In deos vestros per omnia membra validius incumbunt ascia, & runcina, & scobina.* Minutius: *Ecce funditur, fabricatur, scalpitur, nondum Deus. Ecce plumbatur, construitur, erigitur; necdum adhuc deus est. Ecce ornatur, consecratur, oratur; tum postremum Deus est.* Quis talem deum colat, veneretur, aut timeat, & non explodat potius, contemnat vel exurat? Quemadmodum fecisse legimus Diogenem, dum Lentem vellet coquere, nec nisi ligneum Herculis idolum haberet; quod versibus expressum invenies apud Bidermannum nostrum, L. 3. Epig. 79.

Ma-

Maximæ olim ſtatuæ Coloſſæ vocabantur, turribus pares, diis magna ex parte poſitæ ac conſecratæ. Talis fuit in Capitolio Apollo translatus a M. Marcello ex Apollonia Ponti urbe, 30. cubitorum, centum & quinquaginta talentis factus. Talis erat in campo Martio Jupiter a Claudio Cæſare dicatus, a vicinitate Theatri Pompejanus dictus. Talis fuit Tarenti, factus a Lyſippo, 40. cubitorum. Omnes has aliaſque ſtatuas ſuperavit Coloſſus Rhodius Soli conſecratus, quem fecerat Chares Lydius, Lyſippi ſupradicti diſcipulus. Erat hic Coloſſus quoad altitudinem 70. cubitorum; pauci pollicem ejus circumplecti poterant, & digiti majores erant, quam pleræque ſtatuæ, &c.

Tam ingentes fabricas diis ſuis Gentiles erexere, ut ſuam erga illos æſtimationem, & affectum teſtarentur. Magnam quoque ſtatuis venerationem conciliarunt mirabiles quidam effectus, qui per ſtatuas contigerunt. Meminit illorum Lucianus in Philopſeud. In libro vero de Dea Syria hæc habet de templo quodam: *In eo autem ſunt & pretioſa opera, & antiqua donaria, & mirabilia multa, deorumque ſtatua, diique ipſi admodum conſpicui: nam ſtatua ſudant, moventur, & oracula edunt*. Quæ per dæmonum præſtigias facile poſſunt fieri.

La-

Lactantius lib. 2. de orig. err. cap. 11. multis rationibus confutat eorum stultitiam, qui fabricant statuas, & pro diis habent: *Quæ amentia est, aut ea fingere, quæ ipsi postmodum timeant, aut timere, quæ finxerunt?* Probat deinde deos non esse, qui absunt, quorum sunt statuæ, vel si adsint, statuas eorum esse supervacaneas. Verum Dei viventis simulacrum esse hominem, opificem statuarum, ipsis statuis multo perfectiorem esse, & tamen homines vereri magis & suspicere statuas, quam earum opificem, imo eum sæpe contemni. Sed *quid inter se tam contrarium, quam statuarium despicere, statuam adorare? Et eum ne in convictum quidem admittere, qui tibi deos faciat? &c. Adorant insensibilia, qui sentiunt, irrationabilia, qui sapiunt, exanima, qui vivunt, terrena, qui oriuntur e cælo. O curvæ in terras animæ, & cælestium inanes!*

In sensu allegorico statuæ nobiles hujus sæculi sunt fastuosi homines, quos non male Hugo Eterianus dixit idolum esse animatum. Hinc & Lucianus eos comparavit Colossis Myronis & Praxitelis, qui exterius multo ebore & auro fulgebant, sed intus nihil erant, nisi pix, clavi, araneæ, mures, & sordes. Quanta vero ejusmodi statuarum sit infirmitas, ex pede luteo statuæ a Nabuchodonosore visæ satis licet colligere.

LIB.

LIB. DANIELIS

CAP. I. V. 8.

Proposuit autem Daniel in corde suo, ne pollueretur de mensa Regis, neque de vino potus ejus.

Ratio hujus propositi fuit, quod solitæ sint Gentes multa comedere, quæ prius fuerant idolis immolata, vel super quæ implorabant deorum nomina; ut Christiani in more habent invocato DEI nomine mensæ benedicere. Proin timebat Daniel, ne, si tales cibos comederet, signum daret aliquod abjuratæ Religionis. Idem intellige de vino, quod conditum erat in regia cella, aut certe quod propositum esset in Gentilium mensis, & prius ex more, ritu Gentium, sacrum fiebat. Hujus moris meminit Virgilius lib. 4. Æneid.

Jupiter omnipotens, cui nunc Maurusia pictis
Gens epulata toris Lenæum libat honorem.

Jovi plerumque aut Baccho vinum libaminum offerebant, id est, e patera leviter vini aliquid in mensam, vel aram, aut ter-

terram defundebant. Nec e potu solum, sed de cibis quoque fiebat libatio, & in focum sedem Larium ea ipsa libamina deferebantur. Bonartius ad 1. Thebaid. Statii. Deuteron. cap. 32. v. 38. dicitur: *Ubi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam, de quorum victimis comedebant adipes, & libabant vinum libaminum?* Erant hi adipes carnesque, sacrificiorum reliquiæ, ad vescendum reservatæ; quæ tamen ante diis oblatæ fuerant & consecratæ, quæ ab Apostolo εἰδωλόθυτα, id est, idolis sacrificata appellantur; Et talia vel attingere religioni sibi ducebant Judæi: Hinc horrebant communem mensam, congressum & commercium habere cum Gentilibus, ita ut vicissim ipsi Ethnici Hebræum populum ut inhumanum ac fastuosum contempserint, & mutuo usu convictus indignum reputaverint. Hinc Samaritis illa, Joannis 4. ita ad Christum: *Quomodo tu Judæus cum sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana? Non enim coutuntur Judæi Samaritanis.*

Præterea dubium esse non potest, fuisse inter cibos de mensa Regis carnes Judæis vetitas, quarum esu legalem immunditiam contrahebant. Hinc ne pollueretur Daniel, tam firmum conceperat propositum abstinendi a carnibus; & hæc abstinentiæ ratio erat legitima. Cæterum quatuor olim

lim fuerunt vitiosæ carnium abſtinentiæ: Prima erat Philoſophorum, ut Pythagoræ, qui metempſychoſin animarum docuit, uti & Empedoclis ita de ſe canentis:

Olim namque fui ceſpeſque, puerque, puellaque,
Et volucris cœli, atque alti maris incola piſcis.

Hinc carnis cujuſcunque mactationem & comeſtionem velut inhumanam reſpuebant, metuentes, ne hominis alicujus animam ex occiſa pecude ejicerent, aut devorarent. Quod ipſum Seneca confirmat Epiſt. 109. de Pythagora: *Hominibus parricidii metum fecit; cum poſſint in parentis animam inſcii incurrere, & ferro morſuve violare, in quo cognatus aliquis ſpiritus hoſpitaretur.* Altera fuit Hæreticorum quorundam abſtinentia, aſſerentium, damnabilem eſſe eſum carnium, eo quod malæ eſſent, & a malo creatæ principio. Authores erroris hujus fuere Marcion, Tatianus, & Encratitæ, contra quos S. Paulus ſcribit ad Timoth. cap. 4. *Omnis creatura DEI bona eſt, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.* Et S. Auguſtinus cum Cyrillo Jeroſolymitano, qui Catech. 4. ait: *Jejunamus a vino & carnibus abſtinentes; non quod hæc tanquam abominationes oderimus; ſed quod præmium expectamus, ut ſenſibilia deſpicientes ſpirituali dein-*

deinceps & intellectuali menſa fruamur, & nunc ſeminantes in lacrymis, in futuro ſæculo in exultatione metamus. Tertia eorum fuit in exordio Eccleſiæ, qui cenſebant poſt Evangelium publicatum ſervandam eorum ciborum abſtinentiam, quos lex Moyſis vetabat. Sed hæc ab ipſis Apoſtolis eſt abrogata, ut legere eſt in Actis Apoſtol. cap. 15. Quarta ab eſu carnium mala eſt eorum abſtinentia, qui in ea perfectionem eſſe ſitam arbitrantur, aut ex vana gloria, aut alia intentione prava illam obſervant. Tales erant Phariſæi, de quibus Matth. cap. 16. dicitur: *Exterminant facies ſuas, ut appareant hominibus jejunantes.*

DANIELIS

CAP. II. V. 17.

Præcepit Rex, ut convocarentur Arioli, Magi, Malefici, & Chaldæi.

His quatuor generibus hominum omnis Gentilium illorum ſapientia videtur fuiſſe comprehenſa. Arioli ſecundum translationem veterem, teſte Hieronymo, appellati ſunt Sophiſtæ: in Græco textu a Septuaginta nominantur ἐπαοιδοί, ſeu in-

cantatores ; & hi sua peragebant mysteria verbis quibusdam & characteribus. Innuit hoc satis Hebræum illorum nomen Chartummim, a radice Charat; hinc Græcum χαράττω, & Latine redditum character : nam certis verborum, carminum, characterum, & figurarum incantamentis, plantas, animalia, & homines etiam incantabant; dæmones quoque evocabant, quorum opera possent futura prædicere, aliaque mira ad speciem perpetrare. Augustinus, Plinius, Justinus, aliique opinantur, Ariolos suam traxisse originem a Zoroastre Bactrianorum Rege, qui solus inter mortales, statim ubi natus est, risisse fertur, & postmodum Astrologiam, quæ siderum consideratione & naturalibus rationibus nitebatur, primo ad pestilentem dæmonum communicationem & incantationum portenta traduxisse.

Magos vetus translatio Latina, ut Hieronymus Author est, nominavit Philosophos : nempe sunt Magi Barbaris, quod Gymnosophistæ Ægyptiis, Druidæ Gallis, & Græcis Philosophi, humanarum & divinarum rerum scientiam profitentes. Philo in lib. de specialibus legibus ait: Magiam veram, quæ est speculativa scientia, ut honestam, expetendamque, non plebeii solum, sed Reges etiam Persici sectantur. Imo Cicero lib. de Divinat. inquit: *Apud*

Per-

Persas nemo Rex esse poterat, qui non ante Magorum disciplinam percepisset. Plinius lib. 30. in init. ait: *Magi toto Oriente Regum Regibus imperabant*. Et S. Hieronymus: *Omnia Reges de Magorum consilio & sententia faciebant*. Existimat Origenes, primum authorem Magorum fuisse Balaam, qui a Rege Moab accersitus est, ut maledictis filios Israel everteret. Diogenes Laertius Zoroastrem Persam, de quo meminit Euseb. Cæsar. lib. 1. de præp. Evang.

Malefici, Græce φαρμακοὶ, id est, venefici, juxta interpretationem Hieronymi. φάρμακον pro veneno accipi probat Lælius Bisciola, pariter docens, derivari παρὰ τὸ φέρειν ἄχος, quod dolorem & exitium adferat, vel, quod ipsi verisimilius videtur, a φαρμάσσειν, id est, inficere, corrumpere, nocere. Vocantur autem Malefici, quod sanguine ac victimis utantur, & corpora mortuorum contingant: vulgo Necromantici appellantur. Lyranus putat, eos dici maleficos, qui a sensibus alienant homines; quibus tunc secreta quædam a dæmonibus revelantur, aut falsæ potius imaginationes imponuntur. *Tom. 1. l. 13. c. 7.*

Chaldæi principem locum apud Babylonios habebant, de quibus ita Diodorus Siculus: *Chaldæi Babyloniorum antiquissimi eo loco sunt apud Babylonios, quo in Æ-* *L. 3. c. 8.*

gypto sacerdotes cultui deorum deputati. Deditissimi erant siderali scientiæ, ex astrorum animadversione, quæ cuique hominum in vita aliquando essent eventura, divinantes: nam Alexandro Magno & victoriam de Dario, & mortem, quæ ipsum manebat Babylone, prænuntiarunt. Similia Antigono, Nicanori, & Seleuco prædixerunt. Omnes certe concedunt Chaldæis supra cæteros mortalium scientiam astrologiæ, in qua illi se per quadraginta tria annorum millia usque ad Alexandrum Magnum observationes astrorum collegisse prodiderunt. Hucusque Diodorus.

Hi Chaldæi a Nabuchodonosore quæsiti, ut edicerent, quale somnium habuisset; idemque explicarent, responderunt a nullo id homine præstari posse, *exceptis diis, quorum non est cum hominibus conversatio*. Cicero lib. 1. de natura deorum circa initium refert, fuisse aliquos, & inter eos lib. 3. Epicurum nominat, qui dicerent, deos nihil agere, nil curare ea, quæ in hoc mundo aguntur, nec ullum deos inter & homines commercium & conversationem intercedere: stulte enim metuebant, ut Deus innumeris mundi negotiis, iisque admodum operosis implicatus beatam vitam posset agere, quam in animi securitate, & in omnium vacatione munerum ponebant. Lactantius lib. 5. de justitia cap. 10. ait:

Lo-

Locum invenit Epicuri Philosophia, nihil ad deos pertinere, (quid, & quomodo in mundo agatur) *nec gratia eos tangi, nec ira moveri; quia & contemptores eorum sæpe videant beatos, & cultores sæpe miseros. Quorum si vera est sententia*, infert Cicero lib. 1. de nat. Deor. *quæ potest esse pietas? Quæ sanctitas? Quæ religio? Qui negat Deum nobis providere & benefacere, tollit id, quod maxime proprium est optimæ præstantissimæque naturæ. Quæ autem animans natura, nihil curans?* Verius nullus Deus fingitur quam talis. Et si dii neque possunt nos juvare, nec volunt, nec curant, nec quid agamus, animadvertunt, quid est, quod ullos diis immortalibus cultus, honores & preces adhibeamus? Certe non legimus in præsenti Danielis capite ullos cultus & preces à Chaldæis fuisse adhibitas, ut regii somnii notitiam a diis suis impetrarent; quemadmodum Daniel fecit, *quærens misericordiam a facie Dei cæli super sacramento isto. v.* 18.

Quanta verum Deum inter & deos Gentium differentia! expertus illam fuit cum toto Israele Moyses Deut. c. 4. exclamans: *Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut DEUS noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Quæ ista fuit familiaritas, ut facie ad faciem loqueretur DEUS homini? quemad-

modum Moysi locutus est. Sed majora multo ostensa sunt nobis divinæ amicitiæ argumenta. *Post hæc in terris visus est*, & *cum hominibus conversatus est*; imo delicias suas esse cum filiis hominum testatus est Proverb. cap. 8. Et cum similitudó mater amoris sit, ut nos pariter in amorem sui alliceret, *in similitudinem hominum factus est*, & *habitu inventus ut homo*, ad Philipp. cap. 2.

DANIEL.

CAP. V. V. 4.

Bibebant vinum; & laudabant deos suos.

CUm Rex Balthassar mero incaluisset, afferri jussit vasa sacra tum aurea; tum argentea, quæ avus ipsius Nabuchodonosor e templo Solymæ quondam abstulerat, & mensæ suæ profanæ adhiberi, ut non ipse solum, & Regni Proceres; sed & Reginæ etiam uxores, imo & concubinę iisdem uterentur. Quod & factum: nam *bibebant vinum*, & *laudabant deos suos*. Quos credibile est de more Gentium hinc inde in mensa fuisse dispositos. Testatur enim Arnobius de Ethnicis, quod mensas sacras facerent idolorum apposita, & simulacris

sacris deorum. Idem Athenæus confirmat lib. 8. cap. 13. apud Veteres deos fuisse inter convivas dispositos. De Hercule satis notum est, & illius simulacrum videtur in mensis fuisse locatum, ut ab Hercule vorace ac helluone monerentur, non esse ducendum dedecori, quod deorum quoque nomini non censetur indecorum. Statius ita de eodem canit:

- - - - - - - - Pellæus habebat
Regnator lætis Numen venerabile mensis.

Apud Virgilium lib. 8. dicitur, quod convivium Evandri personuerit laudibus Herculis, & instauratis epulis interfuerint Salii, juvenes & senes, *qui carmine laudes Herculeas & facta ferunt*. Circa finem sic plaudentes:

Salve vera Jovis proles, decus addite divis,
Et nos, & tua dexter adi pede sacra secundo.

Scholiastes Aristophanis in Irene docet, solitam libationem fieri Bonæ Fortunæ in mensarum principio, in fine autem Servatori Jovi.

Materia laudis in mensa Balthassaris sine dubio fuerit, quod idolorum suorum potentiæ aliarum Gentium idola succubuerint: imprimis, quod Judæorum DEUS eorum virtute superatus sit, excisa ejus domo, & detractis spoliis: cujus rei argu-

mentum vasa erant aurea & argentea ; e quibus bibebant: *Quanta fuit stultitia*, ait hic S. Hieronymus, *in vasis aureis bibentes ligneos & lapideos deos laudare? Laudant autem deos suos insultantes Deo Judaeorum, quod de eodem, & ejus Gente, urbe & Templo victoriam retulerint*. Idem S. Doctor hoc loco ait: Juxta tropologiam omnes hæreticos & doctrina imbutos contraria veritati, qui assumunt verba Prophetarum, & testimoniis Divinæ Scripturæ abutuntur ad sensum suum; & dant bibere iis, quos decipiunt, & cum quibus fornicantur, tollere vasa templi Dei, & inebriari in eis, nec laudare Deum, cujus vasa sunt, sed deos aureos, argenteos, æreos, ferreos, ligneos, & lapideos, quos pari tropologia apud eundem invenies explicatos.

In alio morali sensu discant Christiani vel ab Ethnicis, qua ratione secundum religionem suam tempus convivii debeant impendere. *Bibebant vinum, & laudabant deos suos*. Hæc agebantur, ait hic P. Oliva Societ. Jesu Orator Pontificius, non in cænula Religiosi, sed regio convivio Balthassaris. O quam religiosior est interdum superstitio, quam Religio! Impii in convivio deorum recordantur ligneorum, nec recordantur solum; sed eos laudant: Christi sacerdotes nonnulli utinam

Deum

Deum laudare non faſtidiant vel inter Choros pſallentium Deo ! Illi meminerunt idolorum in menſis , nos menſarum recordamur in aris , &c. Vere dixit S. Auguſtinus lib. 2. Parall. cap. 15. Menſam , in qua nulla Dei memoria adhibetur , a brutorum ſtabulo non diſcrepare . Hinc monet S. Chryſoſtomus homil. in Pſal. 41. patresfamilias , ut doceant uxores & filios ſuos cantare cantica , ex Pſalmis ſumpta , *maxime in menſa : quando enim diabolus ut plurimum inſidiatur conviviis , cum & ebrietatis & ingluviei , riſuſque profuſi & remiſſi animi auxilio utitur , tunc maxime oportet , & ante menſam , & in menſa , ſe munire pſalmorum præſidio .* S. Cyprianus in Epiſt. ad Donatum ita ſcribit : *Nec ſit vel hora convivii gratiæ cæleſtis immunis , ſonet pſalmos convivium ſobrium* , quale habuerunt Raguelis convivæ , de quibus legitur Tobiæ cap. 7. v. 17. *Epulati ſunt benedicentes Dominum .*

DANIELIS

CAP. XIV.

Erat quoque idolum apud Babylonios nomine Bel, & impendebantur in eo per dies singulos simila artabæ 12. *& oves* 40. *vinique amphoræ* 6.

BEl idem est, quod Dominus, & hoc nomine Chaldæi & Assyrii deum suum & idolum ejus appellabant. Verisimile est, prima hominum ætate post diluvium Deum verum suis a cultoribus Bel esse nominatum; sed postmodum nomen illud, ubi mores hominum corrupti sunt, & in superstitionem lapsi, etiam creaturis, ut igni, aut Soli, aliisque pro diis habitis fuisse inditum: meminit enim Philo Bybliensis Sanchomatonis interpres, Phœnices Solem sub Beli nomine coluisse.

Belum Chaldæorum, qui Genes. c. 10. Nemrod nuncupatur, fundatorem Regni Babylonici, & patrem Nini fuisse, traditur ab Eusebio, Hieronymo, Augustino, Cyrillo, aliisque. De Nino vero ejusdem filio ait S. Hieronymus in explanatione cap. 2. Oseæ: Postquam civitatem Niniven condidisset, & Regem Zoroastrem

subju-

subjugasset, tanta vanitate elatum esse, ut Belum patrem suum in deorum numerum retulerit: cum enim eidem templum magnificentissimum a Semiramide erectum esset, & simulacrum ejus venerationis causa in eodem collocatum, idemque locus quasi sacer asylum foret nocentium, factum est temporum successu, ut non aliter Belum, quam Numen aliquod haberent & colerent. Et hunc Chaldæorum morem aliæ Nationes pariter imitatæ sunt, ut notavit vetus Poeta Marius Victor l. 3. ita canens:

------ Plus inquinat illud,
Quod speciem virtutis habet: nam protinus omnes
Amplexa Gentes scelus hoc, sine fine litantes
Manibus inferias, uti nunc testantur Alani,
Pro Diis quique suis caros habuere parentes;
Post etiam Reges; quorum sub nomine mendax
Gracia, dum veris falsa insinuare laborat,
Addidit obscuras variis rationibus umbras,
Excusans tumulos, & condita nomina bustis.

Observarunt quoque Gentes cæteræ nomen Bel, Baal, aut Beel, eoque deos suos significabant. De Belo deo Carthaginensium,

ſium, qui ſuam e Phœnicia traxere originem, meminit Dido apud Virgilium l. 1. Æneid. *Quem Belus, & omnes a Belo ſoliti*, &c.

De Templo Beli Jovis ſcribit Herodotus, fuiſſe illud in medio Babylonis æreis portis, duorum undecunque ſtadiorum amplitudine, figuraque quadrata; extitiſſe pariter in ſacri medio turrim ſolidam craſſam, juxta ac ſublimem ad ſtadii altitudinem, cui alia rurſus turris erat ſuperpoſita, & huic ſubinde alia ad octavam uſque, & in ea veriſimile eſt fuiſſe ſepulchrum Beli, operis magnitudine & ſtructura mirandum. Erat Pyramis, ait Strabo l. 16. quadrata, ex latere coctili conſtructa, ſtadii altitudine, quolibet ejus latere pariter unius ſpatium ſtadii complexo. Hanc Xerxes demolitus eſt.

Ornatum Templi refert Diod. Siculus l. 3. rer. antiq. c. 4. In ſummo templi tres ingentes aureas ſtatuas Jovis, Junonis, Opiſque erexit, (Semiramis) quarum Jovis adhuc extat longitudine pedum 40. mille Babyloniorum talentorum ponderis. Opis ſimili pondere in ſella aurea reſidet, ad cujus genua duo adſtant leones, juxtaque ſerpentes argentei ingentis magnitudinis, ponderis quilibet eſt talentorum triginta.. Junonis ſtans ſignum, ponderis eſt talentorum octingentorum. His omnibus communis-

mu-

munis erat mensa aurea longitudinis pedum 40. 12. latitudinis, ponderis talentorum 50. duo præterea Carchesia ibidem erant, crateres ex auro tres, & totidem vasa vaporibus apta. Meminit præterea Herodotus duplicis altaris, & in uno plurimas fuisse immolatas hostias, in altero quotannis centum talentorum millia libanoti, id est thuris oblata fuisse ac incensa.

Additur in Scriptura: *Et impendebantur in eo per dies singulos simila artabæ 12. & oves 40. vinique amphoræ 6.* Si ullus, certe Arnobius hanc insanam Gentium superstitionem non minus acriter quam lepide refutat: *Si deus (ut dicitur) nullius est corporis, omnique est incontiguus tactu, qui fieri potest, ut corporalibus rebus nutriatur incorporeum? quod mortale est, ut immortale sustineat, subdatque salutem rei, quam contingere nequeat, & motus subministrare vitales?* Ostendit deinde eodem libro, quam stulte Gentiles faciant, offerendo diis cibos, quibus vesci solent homines: „ Si vos canes, (necesse est enim „ quædam fingi, perspici ut liquidius res „ possint) si, inquam, canes, & asini, si „ motacillæ, si hirundines garrulæ, pariterque cum his porci sensu aliquo humanitatis accepto deos putarent atque existimarent vos esse, sacraque vobis intenderent honoris ergo facere, non ex ma-

„ te-

„ teriis aliis, aliisque de rebus; sed qui-
„ bus ali moris est illis, & naturali appo-
„ sitione fulciri: audire ex vobis exposci-
„ mus, utrumne hunc honorem, an con-
„ tumeliam potius esse judicaretis amplissi-
„ mam? Cum hirundines vobis muscas,
„ motacillæ cæderent consecrarentque for-
„ miculas? Cum altaribus vestris darent
„ asini fænum, paleasque libarent; cum
„ imponerent canes ossa, & humani ster-
„ coris proluviem consecrarent? Cum ad
„ ultimum porculi cœnum vobis profunde-
„ rent ex volutabris horrentibus lutosis &
„ voraginibus sumptum. „ Alio ejusdem libri loco quærit ex Gentibus, „ Quid cum
„ pultibus Deo sit, quid cum libis? Cur
„ opiparis Numina cœnis afficiuntur aut
„ prandiis? Ut innumeras conveniat exco-
„ gitare his dapes? Aversionibus stoma-
„ chorum laborant? Et ad expellenda fa-
„ stidia saporum varietas quæritur? Ut
„ modo his assa, modo cruda ponantur,
„ semicocta modo & semicruda? O deo-
„ rum magnitudo mirabilis! „ Sic legitur Danielis c. 14. Regem Nabuchodonosorem, cum dapes Belo præpositas absumptas esse adverteret, exclamasse: *Magnus es Bel*, v. 17. Quis non rideat & explodat belluinam ejusmodi magnitudinem? Additur in fine textus nostri, oblatas fuisse Belo *sex amphoras vini*. Sed pari modo argumenta-

tur

tur Arnobius contra vinum diis libari solitum: „ Nunquid enim Numinum corpo-„ ra sitim sentiunt aridam? Et eorum ne-„ cesse est siccitates humore aliquo tempe-„ rari? Quid, inquam, Deo cum vino? „ Veneris re proxima, nervos omnium de-„ bilitante virtutum? Verecundiæ, pudo-„ ris & castitatis inimica? Itane istud non „ nefas & plenum sacrilegii crimen est, „ honori hoc dare, quod si tu id avidius „ sumpseris, quid facias, nescias, quid lo-„ quaris, ignores, ad extremum temulen-„ ti, luxuriosi & perditi convicium infa-„ miamque merearis?

Utcunque interim Gentiles Arnobius arguat, quod esculenta cum vinis obtulerint diis suis, hortatur nihilominus Christiana religio Catholicos, ut Christo mensam sternant, parent convivium, cibum & potum apponant. Constat enim ex Euangelio, Christum adhuc esurire ac sitire, non in se quidem, sed in minimis egenisque servis suis. Et ideo Matth. c. 25. *Non dixit, esurivit pauper, sed esurivi ego, & dedistis manducare mihi; se manducare dicit, quod comederit pauper, quod bibit pauper, sibi testatur infusum*. S. Chrysolog. serm. 18. *Quomodo potuit*, ait S. Cyprianus, *magis misericordia nostra opera provocare, quando præstari id sibi dixit, quod egenti præstatur?* *De Eleemos.*

DA-

DANIELIS

CAP. XIV. V. 22.

Erat Draco magnus in illo loco, & colebant eum Babylonii.

MIrum nemini videatur, dracones magnos ab Ethnicis deorum loco habitos. Refert enim Philo Biblius, priſcos cenſuiſſe, eoſdem eſſe naturæ cujuſdam immortalis ac divinæ. Quod ipſum confirmaſſe videtur Taccotus Ægyptiorum deus de dracone inquiens: Spiritaliſſimum eſt omnino animal, & maxime igneum, longævum præterea, & ſenectam cum pelle deponens revireſcit, & vix naturali nece conficitur. Juvit hanc Gentilium opinionem ea, quæ in animali iſto præ cæteris eminet, magnitudinis excellentia, quæ non raro aut ſpem magni alicujus boni, aut timorem ingentis mali afferre Gentibus conſuerat. De magnitudine Draconum refert Oneſicretus l. 6. c. 20. duos fuiſſe in India proceræ adeo molis, ut alter 46. cubitos faceret, 80. alter, & horum intuitum intrepide expetiviſſe Alexandrum Magnum. Plinius l. 8. c. 11. ait, tantæ vaſtitatis in India dracones inveniri, ut cum Elephan-

tis

tis bellum gerant, tricenum & amplius cubitorum. Eorum aliqui Boæ nominantur, tam immanes, ut boves glutiant. Ad hæc quamvis terribiles ſint, amœnam nihilominus ſpeciem præ ſe ferunt. Veri enim Dracones ſplendent, ac ſi aurum variis coloribus ſuppoſitum emicaret; non ſecus ac ſplendere ſolent aureis variiſque ſplendoribus columbæ; ita ii ſuperciliis, criſta, mento, cute dorſi, ſcapulis, collo, juba emicant. Nicander in Theriacis refert, in Pelio monte, quem Pheletronium appellant, reperiri dracones, qui colore ſunt virides, & nigri, pulcherrimæ omnino formæ, triplicem dentium obtinentes ſeriem, frontem & ſupercilia eminentiora aliis partibus multo, obeſos oculos, mentum auratum, &c. ita, ut regia quædam eorum majeſtas videri poſſet non minus grata quam terribilis. Quis enim a beſtiis tam venenatis ſibi non timeat? Et ſi Cleantis teſtimonio, ut Cicero ait l. 2. de nat. deor. terror & timor mali deorum notionem animis hominum impreſſerit, facile a Gentibus fuit creditum, Numen aliquod metuendum animantibus tam portentoſis ineſſe. De Alatis ita canit Lucanus l. 9.

Vos quoque, qui cunctis innoxia Numina terris
Serpitis, aurato nitidi fulgore dracones;

Pestiferos ardens facit Africa, ducitis altum
Aera cum pennis, armentaque tota secuti
Rumpitis ingentes amplexi verbere tauros.
Nec tutus spatio est Elephas, datis omnia letho,
Nec vobis opus est ad noxia fata veneno.

Ælianus l. 11. c. 16. constituit illos divinatores, præsensores temporum rerumque multarum; forsan ideo, quod visus sint acutissimi; nam ἀπὸ τοῦ δέρκειν, id est videre, per metathesin derivatur δράκων. Artemidorus l. 4. c. 69. ait: Draco sacer est & Mystes, præsensque omnibus mysteriis; & ideo refert Strabo l. 14. Gentiles habuisse templa draconibus sacra, quæ ipse draconica vocat: & l. 9. in Delo insula Draconis effigiem coli solitam. Dio scribit, Hadrianum Imperatorem in Templo Jovis Olympii, quod Athenis sumptuosissime erexerat, posuisse pro Numine Draconem ex India deportatum. Narrat quoque Lucianus in Pseudomante, Alexandrum impostorem discipulum Apollonii Tyanæi serpentem palam adorandum exposuisse, & finxisse eum dare oracula, & ad hoc novum vocale oraculum Jones, Galatas, Cilices, & Romanos confluxisse. De Ænea l. 5. meminit Virgilius, quod cum stupore serpentem viderit inter pocula non si-

ne gravitate quadam meantem, nesciens; an deus vel genius loci cujusdam aut tutelaris fuerit. Certius divinitatis indicium & auxilium Romani inesse credebant Serpenti Æsculapii, quem proin ad triennalem pestilentiam, quæ Urbem afflixerat, depellendam legatione Epidaurum missa honorarunt, magnaque religione advectum Romam divinis honoribus affecerunt. Quid vero depulso per adventum ejus malo subsecutum sit, Ovidius enarrat l. 15. Metamorphos.

Incerti quid agant Proceres, ad templa petiti
Conveniunt operosa Dei, quaque ipse morari
Sede velit, signis cælestibus indicet, orant.
Vix bene desierant, cum cristis aureus altis
In Serpente Deus prænuntia sibila misit.
Territa turba pavet, cognovit Numina castus
Evinctus vitta crines albente Sacerdos:
En Deus est, Deus est, animis linguisque favete,
Quisquis ades, dixit: Sis, ô pulcherrime visus!
Utiliter, populosque juves tua sacra colentes.

Incertum quidem est, an serpens aut draco Babylonicus, de quo in præsenti sermo

est, templum habuerit sibi dedicatum. Josephus Goronides l. histor. c. 10. & Comestor in Histor. Danielis, & ex eo S. Thom. aliique censent: Draconem illum non in templo fuisse; sed in fovea quadam, quem horribili sono velut tonitruo ex hydraulicis instrumentis excitato evocabant sacerdotes; ille vero excitatus ad illum strepitum quandoque fumum emittebat, interdum ignem, visibiliter subinde apparebat. Huic cibum fuisse appositum liquet ex præsenti capite; quemadmodum & serpenti Epidaurio factum esse notat Valerius; illud vero nihil novi esse apud Gentiles, colligi potest ex Æliano; is enim refert l. 11. c. 16. in Lavinio Luco apud Italos templum fuisse Junonis, Argolicæ dictæ, quod Argos occiderit industria Mercurii, in quo antrum erat amplissimum profundumque satis, & draconis cubile, in quod certis diebus sacræ virgines concurrebant panis offam ferentes manibus, velatis oculis linteo purissimo, via recta in cubile deductæ; non secus ac si revelatis & apertis venirent oculis, e quibus draco capessebat cibos castos, si quidem castæ essent, secus respuebat, quo ingenio examinabantur virgines, accusabanturque corruptæ; ut ex lege suppliciis afficerentur. Virgines proinde sacrorum suorum antistites habebant dracones, ut quidam tradunt,

puel-

puellarum maxime, puerorumque amatores Virginum. Vide Bustamantium de animantibus Sacræ Scripturæ lib. 4. cap. 1.

Dubium esse Christiano homini nullum potest, quin ea bona, quæ per serpentes aut dracones Ethnicis collata sunt, aut quæ mala per eosdem depulsa, maligno dæmonum artificio contigerint. Nam ut S. Augustinus ait l. 11. de Genes. ad Lit. c. 28. *Gaudent dæmones hanc sibi potestatem dari, ut ad incantationem hominum serpentes moveant, ut quolibet modo fallant, quos possunt; hæc autem permittuntur ad primi facti memoriam commendandam, quod sit ejus quædam cum hoc genere animantium familiaritas*. Quam nequiter nequam ille spiritus per falsum suum *nequaquam*, sub serpentis specie, primis nostris illusit parentibus? Quantum hoc successu animatus nocere pergit humano generi? Clara sunt S. Scripturæ verba Apocalyps. c. 12. *Projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus & Satanas, qui seducit universum Orbem, & projectus est in terram*, in qua dominari quæsivit, & sub serpentum ac draconum specie adorari, votisque suis aurigante hominum malitia potitus est, usque dum cælestis Aquila (quam inter & draconem bellum est continuum) JESUS Christus e cælo de-

ſcendit, quæ eundem contrivit penitus, & in puteum abyſſi dejecit.

O S E Æ

CAP. IV. V. 12.

Populus meus in ligno ſuo interrogavit, & baculus ejus annuntiavit ei.

S. Hieronymus, Haymo, Hugo, & Vatablus per lignum hoc accipiunt baculum divinatorium: eo enim quaſi inſtrumento præſagiebant futura. Septuaginta vertunt: *In ſymbolis eorum interrogabant*; nam baculi illi ſymbola erant divinationis. Veteres Chaldæi, & ſecuti eos Hebræi utebantur divinationibus per virgas & ſagittas, de quibus dictum eſt alibi. Moyſes Sampſonis filius in explicatione præcepti negativi quinquageſimi ſecundi commemorat talem ritum: Decorticabant baculum ligneum uno tantum ex latere, tum in aerem projiciebant. Si primo jactu apparuiſſet ſuperior pars decorticata, & ſecundo jactu ſuperior pars adhuc veſtita, proſperum ſucceſſum augurabantur; ſin contra, primum pars veſtita, infelicem: ſi utroque jactu veſtitum vel nudatum latus ſuperius fuiſſet, mixtum eventum ſibi pollice-

ban-

bantur; & talem, inquit, divinandi modum ab Osea hic carpi. Theophylactus in eundem textum ait: Virgas duas statuentes, carmina quædam admurmurant; deinde virgis, ministerio dæmonum, cadentibus considerant, quonam utraque cadat, retrorsum, an antrorsum, ad lævam, aut ad dextram, sicque tandem responsa dant insipientibus, virgarum casu pro signis usi. Vocatur autem divinatio, quæ per virgam aut baculum obtinetur, Græce παλομάντεια, vel ῥαβδομάντεια, quam Tacitus l. de moribus Germ. tribuit Germanis: *Sortium consuetudo simplex; virgam frugiferæ arbore decisam in surculos amputant, eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem temere ac fortuito spargunt; mox, si publice consulatur, sacerdos civitatis; sin privatim, ipse paterfamilias precatus deos, cælumque suspiciens, ter singulos tollit, sublatos secundum impressam ante notam interpretatur.* Hucusque Tacitus. Apud Sinas quoque hodiedum esse dicitur similis quædam divinatio duorum lignorum æqualium, quæ fusius describitur a Gonzalo Mendozio l. 2. histor. Chinens. c. 4. Nec non apud Philippenses in India, teste Martino Ignatio itinerarii c. 8.

Illustrant hunc discursum nostrum, quæ Rhodiginus refert l. 7. c. 29. *Virgas in rebus divinis eximii cujusdam usus fuisse Ve-*

teribus, ex plerisque conjectare licet: nam qui Persicos ritus diligentius animadversos litteris mandarunt, illorum magos, qui sacrificiis præficiuntur, carnes super myrto & lauro positas tradunt subtilibus ignibus adurere, mox oleum lacte melleque commixtum conspergere, ac comprecari, fasciculos ex myrica pertenues manu tenentes. In Pyrothicrum meditullio surrecta stabat ara, ubi inextinctus servaretur ignis, fierentque itidem comprecationes, non sine myricinis virgis: sicut in Sythia quoque, ubi vaticini traduntur plures, salignis virgis divinatio concipitur, quas dissolvunt, ac separatim singulis humi constratis vaticinantur; interim virgas comprehendentes componentesque. Narees vero, quos esse Androgynos putat Herodotus, tiliam scindentes trifariam, digitosque implicando ac resolvendo præcinunt futura. Et post aliqua: *Etenim in plerisque locis virga, ut diximus, præsagiunt; quod in primo compositionis tertiæ Dion quoque confirmat.* Hæc ille de Persis Magis ab Herodoto l. 1. & Strabone l. 15. est mutuatus.

Quali ligno usi sint Hebræi, non constat; hoc certum, in Myrica solita olim fieri vaticinia, ut ex paulo ante dictis patet. Apud Nicandri interpretem in Theriacis ita legimus: Apollo vaticinos sanxit Myrica prænuntiare mortalibus futura: hinc

hinc fruticem hunc insignem Nicander Mantin vocat, id est Vatem. Quin & magi, item Scythæ Myricino vaticinabantur ligno: nam in plerisque locis virga fiebat præsagium. In Lesbo Apollo Myricæ ramos tenebat, qua ratione Myriceus quoque est appellatus: & Archæus prodit, quandoque in somnis visum Deum illum Myricæ ramo decorum. Rhodiginus l. 7. c. 29. Forsitan lauri lignum fuit adhibitum. Claudianus l. 2. de raptu Proserpinæ cum antiquioribus & junioribus cecinit Laurum venturi præsciam; eo quod Apollini oracula reddenti sacra esset, & ideo dicta est μαντικὸν φυτὸν, hoc est vaticinatrix planta; & divinationis Symbolum vocat Aphtonius. Hinc illud Lucretii l. 1.

Pythia, quæ tripode ex Phœbi lauroque profatur.

Scholiastes Theogoniæ Hesiodi de eadem inquit, quod divinos instinctus efficiat; unde illud Lycophronis in Alexand. *Lauro vorata ex gutture emitto vaticinia*. Vide Lælium Bisciolam tom. 1. l. 12. c. 3.

Quæri hic posset, an uti Gentiles beneficio ligni & baculi occulta quædam annuntiari sibi quærebant, ita possint licite Christiani uti ficulni aut coryli ligno, vel alia quadam virga divinatoria uti pro inveniendis occultis limitibus, thesauris, metallis, fontibus? &c. Quæstionis hujus decisio ex

eo pendet, an sit naturalis aliqua connexio inter virgam indicantem, & ea, quæ per illam indicantur? Quæ cum abesse videatur, nec extendere se possit virga ad morales circumstantias, quæ non raro intercurrunt, jure merito usus ejus ad tales effectus reprobatur.

Aliam virgam cum baculo sacræ nobis Scripturæ offerunt, non sine spe fortunæ melioris obtinendæ ab iis, qui illa virga & baculo bene usi fuerint. Meminit illorum Regius Propheta David Psal. 22. *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt*. Hæc virga, & hic baculus est tribulatio amore Dei & Jesu Christi suscepta, quæ non vanum est prædestinationis nostræ symbolum, nec obscurum futuræ salutis nostræ vaticinium, Blosii testimonio, qui Margarit. Spiritual. c. 19. §. 10. ait: *Nullum certius signum divinæ electionis habetur, quam si quis tribulationem humiliter, patienterque propter DEI amorem sustineat.*

OSEÆ

OSEÆ

CAP. IV. V. 13.

Super capita montium sacrificabant.

FRequenter Gentiles diis suis templa & aras extruebant in montibus, & sacrificia in iis offerebant. Forsan loca, quo cælo propinquiora, hoc diis gratiora, & magis sacra esse censebant, præsertim si arboribus essent consita, & luco exornata. Virgil. Æneid. 8. ita canit:

Hoc nemus, hunc, inquit, frondoso vertice collem
Quis Deus, incertum est, habitat Deus, Arcades ipsum
Credunt se vidisse Jovem.

Omnes fere montes in septicolli Roma diis erant sacri. Mons Palatinus aut Palatium nomen suum a Pale dea pastorali adeptum esse, refertur Authorum quorundam sententia apud Solinum c. 11. Quam celebris mons Capitolinus ob amplissimum Jovis Capitolini Templum? Collis Quirinalis ideo sic dictus, ut quidam censent, quod in eo templum fuerit Quirino positum. Idem dictus est Agonius ob Agonia sacrificia. Viminalis mons, teste Varrone Ro-

manorum omnium doctissimo, a Vimineo Jove nomen habet, quod ibidem aræ ejus sint. In monte Aventino tria erant templa, Dianæ, Minervæ, & Victoriæ consecrata. In monte Palantio templum erat Cereris. Vaticanus mons a Vaticano aut Vagitano Deo sic appellatus est. Solinus c. 14. de Olympio ait: *Excellenti vertice tantus attollitur, ut summa ejus, cælum accolæ vocent. Ara est in cacumine Jovi dicata, cujus altaribus si qua de extis inferuntur, nec difflantur ventis, nec pluviis diluuntur; sed volvente altero anno, ut relicta fuerint, ita plane reperiuntur.* Similia scribit de monte, qui Athos vocatur, quod in aris, quas cacumine sustinet, nunquam cineres eluantur.

Verisimilius est prima Ethnicorum Numina in lucis tantum aut montibus fuisse culta. Strabo Amasianus l. 7. Georg. scribit. *Apud Getas sacerdos deus dicitur, & mons sacer existimatur, & ita appellatur.* Idem c. 15. in fine ait: Indi sacrificant in sublimi, editove loco, ut merito Orgia Bacchi sacra vocentur, ἀπὸ τῶν ὄρων, a montibus. Servius ad versum 303. Æneid. 4. Hinc illud Virgilii: *Bacchus amat montes.* Ritus ille sacrificandi in montibus non modo apud Indos, sed Græcos etiam, Getas, & Dacos receptus fuit.

Quid? quod ab Ethnicis montes ipsi deo-

deorum loco culti sint, aut dii montium inquilini & tutores sint habiti. Ab iis putabant Syri, cum victi essent, Judæos habere auxilium suum; hinc ad Regem suum dicebant: *Dii montium sunt Dii eorum, ideo superaverunt nos; sed melius est, ut pugnemus contra eos in campestribus, & obtinebimus eos*, l. Reg. 3. c. 20. Deus, qui jugis montium præsidebat, dictus est Gentilibus Jugatinus, collium dea ac præses Collina, Oreades Nymphæ, quod in montibus frequenter apparerent. Hinc mirum non est, Gentiles in excelsis, quorum toties Scriptura meminit, & *super capita montium* sacrificasse. Voluit scilicet eorum author diabolus Patriarchas imitari, & Prophetas, a quibus non raro montes pro DEI servitio sunt electi; Imo DEUM ipsum, qui sua nobis mysteria in montibus plerumque declaravit, ut ex pluribus Scripturæ locis patet, tam in Veteri, quam in Novo Testamento.

OSEÆ

O S E Æ

CAP. IV. V. 13.

Et ſuper colles accendebant Thymiama.

THymiama a græco verbo θυμιᾶν oritur, & idem eſt, quod ſuffire, vaporare, odores incendere & adolere. θυμιᾶν vero derivatur παρὰ τὸ θύω, quod verbum, ut apud Euſthatium videre eſt locis pluribus, duo ſignificat. Primo idem, quod θυμιᾶν ſuffire, odoramenta Diis incendere. Secundo ſignificat ſacrificare, mactare, immolare. Cum autem ſenſus proxime antecedens expreſſe de ſacrificio meminerit, textus præſens de ſuffitu aut ſuffimentis intelligendus eſt. Porphyrius, & Grammatici ideo cenſuerunt ſacrificium θυσίαν vocari, quod primi mortalium ex combuſtis arboribus ſive plantis, earumque partibus & fructibus θυμίασιν, id eſt ſuffimentum Diis impenderint. Forſan tale ſacrificium primus Cain fecit, cum legatur Gen. c. 4. *De fructibus terræ munera Domino obtuliſſe*. Odores ſacrificiales varii erant, alii ſuaves, jucundi, & beneolentes; alii inſuaves, tetri, fœtidi, putridique; u-

trif-

trisque autem miseri Idololatræ Deos suos, seu Dæmones potius, idque illorum ipsorum suggestione, monitis atque oraculis, delectari atque placari putabant. Fuerunt ex Gentilibus, qui censuerunt antiquitus herbas tantum simplices, domesticas, patriasque ad sacros illos suffitus conficiendos fuisse adhibitas; qui postea ex thure, myrrha, croco, cinnamomo, aliisque ejusmodi aromatibus pretiosis transmarinis fieri sunt soliti. Quibus suffragatur Diodorus apud Eusebium Cæsar. l. 1. c. 6. *Sola cælestia, ut Dii, non victimarum cadibus, sed herbarum fumis colebantur.*
Accinit Ovid.

Nondum portabat lacrymatas cortice myrrhas
Acta per æquoreas hospita navis aquas.
Thura nec Euphrates, nec miserat India costum,
Nec fuerant nobis cognita fila croci.
Ara dabat fumos herbis contenta Sabinis,
Et non exiguo laurus adusta sono.

Præter Sabinas herbas Verbenarum meminit Propertius:

Flore sacella tego, & Verbenis compita velo,
Et crepat ad veteres herba Sabina focos.

Virgilius:

Ver-

Verbenasque adole pingues, & mascula thura.

Verbenarum nomine subinde solent intelligi quævis herbæ, quarum usus in sacris erat pro suffitu; ut Laurus, myrtus, olea &c. Notandum porro est, quod Jamblichus ait de mysteriis Ægyptiorum segmento 3. c. 24. *Suffumigationes adhibitæ affinitatem & cognationem habent cum Deo ipso, cui offeruntur*; hinc videntur factæ suffumigationes in certis herbis aut arboribus, quæ Diis sacræ erant, & magis gratæ. Sic Virgilius canit Eclog. 7.

Populus Alcidæ gratissima, Vitis Jaccho,
Formosæ Myrtus Veneri, sua Laurea Phœbo.

Ita legitur fuisse ara vetus Veneri Myrteæ, quæ nunc Murtia vocatur. Inter prima, quæ pro sacris olim suffitibus serviebant, numerari potest Sulphur, de quo ita Plinius l. 35. c. 15. *Habet & in religionibus locum sulphur ad expiandas suffitu domos.* Hinc pro re sacra & divina est habitum, quod magna vi polleret ad quælibet expianda.

Antiquissimus juxta ac frequentissimus thuris usus fuit olim in sacris Gentilium; ita ut nonnulli ipsum nomen thus probabili sane ratione ἀπὸ τῦ θύειν, id est sacrificando dictum esse voluerint; eo quod primis temporibus solo thure sacrificatum fuerit;

rit; præfertim a pauperibus; unde illud poftea in omnibus facrificiis fuit adhibitum. Thus præftantiffimum eft, quod Sabæorum regio in Arabia fita producit. Unde Virgilius:

- - - - *Molles fua thura Sabæi*.

Item:

- - - - *Solis eft thurea virga Sabæis*.

Et in alio loco:

- - - - *Centumque Sabæo*
Thure calent aræ.

Plinius l. 12. c. 14. refert, Alexandro Magno, cum magnam thuris vim fine parfimonia aris inferret, Leonidem Pædagogum dixiffe, ut tali modo, fi Gentes thuriferas deviciffet, Diis fupplicaret; cui Alexander Arabia potitus thure onuftam navim mifit, fimul illum cohortans, ut large Deos adoraret. Auguftus, tefte Suetonio, inftituit, ut Patres Curiam ingreffi, priufquam federent, thure & vino facrificarent. Herodotus l. 1. teftatur, quod Babylone in Jovis templo mille quotannis talenta thuris adolerentur. Ægyptios quoque thure ac precibus Deos fuos placaffe memorat Macrobius. Plinius libro vigefimo fecundo cap. 24. ait: *Thure fupplicamus & cofto*. Laribus thure fupplicari folitum ex Plautinis conftat in Aulularia. Et hic frequens ufus thuris in facris caufa eft, cur *pium* fit dictum, *votivum*, *facrum*. Ovid.

- - - - Superis pia thura ferebat.

Idem Eleg. 3.

Aspicit ara preces, votivaque thura piorum.

Crinitus:

Cum Thure sacro suscipias rogo.

Imo & Arabiam sacram, quod thuris ferax sit; & eos, qui thuris vel metendi vel incidendi curam haberent, sacros ac divinos vocari & haberi, Plinius scribit, qui & alio loco ait: *Homines intelligere thus Diis* (nimirum colendis) *esse genitum*. Quid? quod ex Ecclesiasticis constat historiis, primos olim Christianos ab Ethnicis adactos fuisse ad thurificandum Diis: hinc qui talem commisissent idololatriam, dicti sunt *Thurificati*; de quibus Cyprianus de duplici Martyrio: *Horres, inquam, abominandum Thurificati aut Libellati cognomen, ipse forte Thurificatis ac Libellatis deterior.*

Sed quid causæ, quod Gentiles odoribus & suffimentis tam frequentem in sacris usum, tantamque res quasvis purificandi, Deosque suos propitiandi vim tribuerint? Quia odores, si vis illorum & natura probe inspiciatur, res sunt maxime tenues, subtiles, ignis ac spiritus naturam habentes: proinde eos censebant Ethnici esse similiores Diis suis, quos quasi corpus & quasi sanguinem habere fabulatus est Epi-

cu-

curus, ut Cicero testatur l. 1. de Nat. Deorum. Certe vis odorum subtilis, ac quasi spiritualis adhuc magis patet, si cum reliquorum sensuum objectis conferatur. Verba quoque odoribus plerumque tribui solita ipsos significant flatus, halitus, ac spiritus quosdam esse; & ideo naturæ Deorum suorum sive Dæmonum, *Quos dicebant esse aeria quadam animalia*, (verba sunt S. Thomæ, 2. 2. q. 94. a. 1.) odores & suffimenta maxime convenire, & idcirco plurimum illis placere, nec minorem eos placandi vim habere existimabant.

Sed jure Lucianus in Dialogo, qui inscribitur *Prometheus*, irridet consuetudinem faciendi suffitum Diis; quasi vero ingentem iis lætitiam fumus iste pareret, aut epulas appararet suavissimas; ubi nidor simul cum fumo volutatus in cælum usque tollitur. Pariter illudit & explodit eos Arnobius l. 7. contra Gentiles, probans alienum a ratione esse, existimare Deos honorari aut placari posse Panchaicis, id est Arabicis resinulis &c. Addit sequentia: *Quod si contendunt Deos odorum atque nidorum hujusmodi suavitate capi ac delectari; inde colligi potest, ipsos esse corporeos, & mortalium similes. Sin autem, ut a sapientibus creditur, sunt incorporales, neque odore aliquo afficiuntur, inanis apud hos odor est, nec sensibiliter commovere aura eos potis est*

nidoris alicujus, non si mille tu pondera masculi thuris incendas, calumque hoc totum redundantium vaporum nebulositate cludatur. Hucusque ille.

Objici hic posset ex Tobiæ l. c. 7. potuisse fumum cordis certi cujusdam piscis supra prunas positi extricare omne genus Dæmoniorum. In Hebræo & Græco textu legitur, Dæmonem percepisse odorem, & fugisse, ita ut bene consideratis S. Scripturæ verbis videatur cordi ac fumo, ob quam nescio antipathiam, efficientia quædam hujus aversionis ac fugæ tribui debere. Serarius noster concedit cordi illi ac fumo inditam fuisse vim quandam naturalem ad fugam dæmonis; non tamen de se tantum sufficientem. Pariter dici posset oblata Dæmonibus Thymiamata, ob occultam quandam sympathiam superius insinuatam, fuisse quoddam illicium Dæmonum ac delicium. Verisimilius respondetur, nullis bonis odoribus vere pasci Dæmones; cum non sint animalia quædam aeria, ut falso Gentiles rati sunt, sed meri spiritus; nec textus Scripturæ probent naturalem Dæmonis aversionem fuisse a fumo cordis accensi. Proin dicendum, quod S. Augustin. ait: Dæmones libenter habere, ut offerantur ipsis odoramenta, *non quia nidore ac fumo, sicut nonnulli vani opinantur; sed hominum pascuntur erroribus*.

L. 20. de Civitate Dei c. 22.

Quam

Quam iniquum & execrandum est Thymiama, quod Diis incenditur, tam justum ac sacrosanctum est, quod vero Deo præparatur & offertur. Exod. c. 34. legitur, Deum mandasse Moysi, ut sumeret sibi aromata *Stacten, & Onycha, galbanum boni odoris, & thuris lucidissimum, æqualis ponderis omnia, faceretque Thymiama compositum opere unguentarii*. Apostolus Epist. 1. ad Timoth. c. 2. quatuor nobis assignat species, ex quibus fieri possit *pietatis compositum mixtum diligenter, & purum, & sanctificatione dignissimum*, scilicet, *obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones*. Sacra hæc aromata separata, & secundum se sumpta Deo quidem grata sunt, sed permixta invicem thymiama efficiunt *in odorem suavissimum Domino*; modo non defuerit ignis charitatis, *ut dirigatur oratio sicut incensum in conspectu Dei*. S. Gregorius Magnus l. 1. Moral. c. 39. ait: *Thymiama ex aromatibus compositum facimus, cum in altari boni operis virtutum multiplicitate redolemus*.

Symbolice S. Basilius in c. 1. Isaiæ ante medium. Thymiama hoc, inquit, e corporis sanctimonia fit per temperantiam & frænum rationis in corpus, quod quatuor elementis constat. Stacte ad aquam refertur, thus ad aerem, onyx ad terram ob ariditatem; galbanum ad ignem ob calo-

rem præfervidum. Hæc ergo inter se contemperat & moderatur sanctimonia, quasi Thymiama sanctum.

Notandum denique, ut dæmones delectati sunt herbarum pecudumque suffitibus; ita magis Angelos recreari orationibus Sanctorum, quæ instar aromatum Deo per Angelos offeruntur, ut Apocalyps. c. 8. dicitur: *Ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo*. Et ut fumus incensi jecoris Asmodæum fugavit, ita magis oratio affligit Diabolum, cruciatque. Ait enim S. Bernard. serm. 2. de dedicat. Eccles. *Gravis nobis est inimici tentatio; sed longe gravior illi nostra oratio*. Et S. Laurentius Justinian. de orat. c. 2. *Oratio est animæ sanctæ subsidium, Angelorum solatium, diabolo supplicium*.

OSEÆ

CAP. X. V. 5.

Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariæ.

Cum L. Reg. 3. c. 12. legatur Jeroboam fecisse duos vitulos Samariæ aureos, & unum posuisse in Bethel, alterum

rum in Dan, & hic Samariæ habitatores coluisse vaccas in Bethaven; verisimile est præter aureum vitulum vaccas quoque a Samaritis cultas fuisse: nam eodem c. 12. ante allegato dicitur, Jeroboam ascendentem altare similiter fecisse in Bethel: *ut immolaret vitulis* sive vaccis: Hæc enim duo nomina pro eadem pecude, etiam ejusdem ætatis, quandoque sumi colligi potest ex Ose. c. 9. Judic. c. 14. Vide Riberam in Osee. Vocantur autem in Scriptura Dii ab Idololatris Judæis culti, tum vituli, tum vitulæ, & modo singulari, modo plurali numero exprimuntur: cum enim pecorum illorum capita solummodo ad adorandum fuerint proposita, non facile distingui poterat, cujus essent generis: Probabilius tamen est fuisse vitulas: sic enim habet 70. Interpretum translatio. Idem asserit Josephi historia: & cum Ægyptiacam Idololatriam imitati sint, vaccas coluisse sunt censendi. Ait enim Herodotus de Ægyptiis l. 2. *Boves fœminas venerantur ex omnibus pecudibus longe plurimum*. Et hinc sub vaccis Isidem coluere. Illius enim simulacrum muliebre erat bubulis præditum cornibus; quemadmodum Græci Io describunt; & forte sub forma vituli aurei Apim sive Serapim, qui etiam (ut S. Clemens docet l. 6. Constit. Apost. c. 20. & Lact. l. 4. c. 10.) ab Israelitis in

deſerto fuit adoratus. Erat hic bos corpore nigro, candida fronte, & in tergo nota alba inſignis, quem certos vitæ annos excedere non licebat; atque ideo in lacum demerſum, defunctumque plangebant, & alio invento mirifice lætabantur. Alexander ab Alexand. l. 6. Genial. dier. c. 2.

Poſuit autem Propheta Oſeas Bethaven pro Bethel, quod idem eſt, ac domus Dei: ſic enim locus ille dictus eſt a Patriarcha Jacob, ob mirabilem ſcalæ a terra ad cælum pertingentis viſionem in ſomno, e quo expergefactus dixit: *Vere non eſt hic aliud, niſi domus Dei*. Non autem merebatur locus ille vocari Bethel, eo quod a Jeroboamo factus eſſet ſedes idololatriæ; hinc vocare voluit Bethaven, id eſt, domum iniquitatis, ut vertit Theodotion, ſeu domus inutilis aut nihili, ut verterunt Aquila & Symmachus; quam translationem ipſe probat S. Hieron. & bene cum eo congruit, quod Apoſtolus ait 1. Epiſt. ad Corinth. c. 8. *Scimus, quia nihil eſt idolum*.

Oſeæ

OSEÆ

CAP. II. V. II.

Et avolabunt quasi avis ex Ægypto, & quasi columba.

QUomodo a servitute sua Judæi dimittendi essent, per duarum avium, Ægyptiacæ scilicet & Syriacæ similitudinem Propheta voluit declarare. Per avem Ægypti Ibis potest intelligi, quæ est ciconiæ species excelso corpore, rigidis cruribus, & procero rostro. Avis hæc adeo propria est Ægypto, ut extra eam non possit vivere; & si extra illam asportetur, ocyssime moriatur. Æliani verba sunt: *Extra Ægyptum nunquam progreditur Ibis.* Columbas apud Assyrios in magna veneratione fuisse, alibi dictum est. Symbolum illis erat aureæ libertatis & securæ felicitatis. Eandem lædere aut perimere nefas erat. *Sacrificant Assyriæ columbæ*, ait Lucianus in Jove tragœdo. Voluit ergo Oseas dicere: Judæos ex captivitate redituros citissime in patriam suam, & quidem secure, foreque, ut hostibus metus quidam insuper incutiatur, ne malum aliquod ipsis ulterius inferre audeant.

Mi-

Mirum sane est, quem cultum ac venerationem Gentiles iis exhibuerint animalibus, quæ utilitatem aliquam conferre hominibus solebant, quam gratitudinem referre iis bestiis conati sunt, quarum servitio Dii usi fuere. Ibis, teste Diodoro Siculo, Ægypto est utilissima ad serpentes, locustas, bruchosque delendos. Ut ait Cicero lib. 1. de nat. Deorum: *Ibes maximam vim serpentium conficiunt, avertunt pestem ab Ægypto &c.* Et si pennæ ejus Crocodilum tangunt, statim immotum reddunt & quasi sideratum. Eam ob causam invocantur ab ipsis Ægyptiis, nec sine metu, ne quid mali iis inferatur, coluntur. Hinc Juvenal. Satyr. 7. canit:

Kircher. in classe 3. Sphingis Mystagog.

Quis nescit Volusi Bethynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat
Pars hæc, illa pavet saturam serpentibus Ibim.

Si quis Ibin, ait Herodotus, *volens aut nolens occidisset, necessario morte afficiebatur.* Plutarchus de illa refert sequentia: *Hæc reptilia mortifera interimit, hæc prima clysteris usum in se ipsa ostendit, & religiosissimi sacerdotum non alia lustrali aqua purgantur, quam de qua Ibis biberit.* Præterea sacram quandam divinandi vim isti inesse censebant. Quid? quod Cylle-

nius

nius aut Mercurius in pugna Gigantum contra Deos sub alis Ibidis latuerit, ut Ovidius canit lib. 5. Metam. & ejus simulacrum sub forma Ibidis in præfectura Racotis dicta ab Ægyptiis sit cultum. Apud eosdem, ut Clemens Alexand. refert lib. 5. stromat. Ibis fuit hieroglyphicum Zodiaci: quod hæc avis illos primo induxerit in cognitionem numeri & mensuræ. Posset non sine fundamento dici avem hanc per stellare signum Zodiaci Δ delta dictum significari: talis enim figuræ situs Ægypti est, & similem dicta avis in incessu pedum & oris apertione format exprimitque. Nec quid novi esset, tam utilem avem ac necessariam ab Ethnicis in Deorum numerum relatam, & firmamento astrifero insertam esse; sic enim & Columba Assyriorum, quod Semiramidi Venerique fuerit ad servitium, inter sidera locum obtinuit. Percurre constellationum seriem, & invenies animalia cœlestia ob præstita quædam Diis aut hominibus obsequia Apotheosin esse merita. Ideo Taurus, Aries, Scorpius, Caper, Pisces &c. tam illustrem consecuti sunt stationem. Sic Cygnus, quod ad tegendum Jovis flagitium juverit, inter astra ab eodem relatus est. De quo Manilius in primo Astronomicorum:

Proxima sors Cygni, quem cælo Jupiter ipse

Impo-

Imposuit, forma pretium, qua cepit amantem,
Cum Deus in niveum descendit versus olorem.

An non dolendum summopere Gentiles volucribus cæli, & bestiis terræ talem cultum ac gratitudinem rependisse, nullo habito respectu ad fontem bonorum omnium? pecudes vilissimas ob propudiosa Jovi præstita obsequia sic honoratas? Vere de iis S. Hieron. in c. 5. Oseæ: *Cælum infamare conantur, & mercedem stupri inter astra collocare.* Hipponensis Præsul rei indignitatem non ferens jure queritur lib. 1. de cons. Euangel. Venerem tam infamem mulierem ab Ethnicis inter stellas relatam esse, & non Minervàm Virginem tam pudicam. *Quid tantum mali castitas, aut quid tantum boni voluptas commeruit? ut inter astra, quæ cum Sole & Luna circumeunt, Venus habeat stellam, & Minerva non habeat? Pudet vero me recensere ciconias, simios, hircos, & alia his longe absurdiora, quæ nescio quomodò ex Ægypto se in cælum inseruerunt.* Quam abjectum cæli constellati officium est, ursos, dracones, & centauros, dæmonesque suppostitios ac spurcos Deos stabulare, eorumque fabulosas libidines velut cælo dignas universo orbi celeberrimo apparatu, quasi in scena quotidie exhibere? haud-

Lucian. in Deorum concilio.

qua-

quaquam Christianæ fidei, honestæque rationi videtur congruere, dæmones, bestias, probrosósque homines stellis designare. Beatis potius spiritibus, virisque sanctitate conspicuis hieroglyphicum stellæ communi sacrorum interpretum sententia debetur, juxta illud Danielis: *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad virtutem erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

A M O S

CAP. VI. V. 10.

Et tollet eum propinquus suus, & comburet eum, ut efferat ossa de domo.

TExtus hic de sepultura agit, cujus varios modos, ritus ac consuetudines Gentiles habuere. Enumerat eorum aliquos Silius Italicus lib. 13. belli Punici, ita concludens:

Cecropidæ, ob patriam Mavortis sorte peremptos
Decrevere simul communibus urere flammis.

Et hic mos comburendi cadavera fuit antiquissimus, ut ex Cicerone constat lib. 2. de legibus; item ex notis Scholiastis in lib.

lib. 4. Iliad. Homeri ad versum illum, quo Minerva Pindarum impellit ad fœderis violationem; & ex pervetustis monumentis, in quibus ingentes urnæ erant, & vasa fictilia corporum crematorum cineres continentia. Antequam vero corpus aliquod cremaretur, pyra extruebatur ex lignorum feralium congerie; hæc si ardere cœpisset, Rogus vocabatur; quod tunc Manes rogari solerent; Bustum vero, cum jam exustum esset, quasi bene ustum. Ritus qui præterea adhibebantur, accurate descriptos habe ex Virgilio lib. 6. de funere Miseni.

Nec minus interea Misenum in littore Teucri
Flebant, & cineri ingrato suprema ferebant.
Principio pinguem tædis, & robore secto
Ingentem struxere pyram; cui frondibus atris
Intexunt latera, & ferales ante cupressos
Constituunt, decorantque super fulgentibus armis.
Pars calidos latices, & ahena undantia flammis
Expediunt, corpusque lavant frigentis, & ungunt.
Fit gemitus; tum membra toro defleta reponunt,

Pur-

Purpureasque super vestes, velamina nota
Conjiciunt; pars ingenti subiere feretro,
Triste ministerium, & subjectam, more parentum,
Aversi tenuere facem, congesta cremantur
Thurea dona, dapes, fuso crateres olivo.
Postquam collapsi cineres, & flamma quievit,
Relliquias vino, & bibulam lavere favillam,
Ossaque lecta cado texit Chorineus aheno.

Qua vero ratione a fœminis ossa prius colligerentur, Tibullus meminit lib. 3. eleg. 20.

- - - Ossa
Incincta nigra candida veste legant.

Causa Ethnicis non una erat comburendi defunctorum corpora. Servius in l. 11. Æneid. ait: *Heraclitus, qui vult omnia igne constare, sustinet, debere corpora in ignem resolvi; Thales vero, qui sustinet, omnia ex humore procreari, dicit obruenda corpora, ut humore resolvi possint*. Idem Servius in lib. 3. Æneid. ait, Romanos ideo combussisse corpora, *ut statim anima in generalitatem, id est, in naturam suam rediret*. Forte aeriam quandam substantiam esse putabant animam hominis. Sic Ovidius L. 1. Trist. eleg. 4. ait:

Spi-

Spiritus hic vacuas prius extenuandus in auras
Ibit, & in tepido deseret ossa rogo.

Et Silius Italicus l. 10. in funere Pauli:

Hac Lybis atque recens crepitantibus undique flammis
Æthereas anima exultans evasit in auras.

Quintilianus declamatione decima aliam dat causam: *Dixerunt animam flammei vigoris, impetum, perennitatemque non ex nostro igne sumentem, sed quo sidera volant, & quo sacri torquentur axes, inde venire ortum; unde omnium rerum Authorem parentemque spiritum ducimus, nec interire, nec solvi, nec ullo mortalitatis affici fato; sed quoties humani pectoris carcerem effregerit, & exonerata membris mortalibus levi se igne lustraverit, petere sedes inter astra.*

Videntur Judæi in Idololatriam lapsi, & hunc morem comburendi defunctorum corpora ab ipsis Gentibus didicisse; minatur autem illis Deus in præsenti textu extremam vastitatem & ruinam; ita ut ne unus quidem e decem viris in una domo commorantibus evasurus sit, nec alias habituri reliquias, quam ossa combustorum a propinquis e domo efferenda.

Christianis in more positum est defunctorum corpora non comburere; sed terræ man-

ræ mandare. Hic ſepeliendi modus magis videtur congruere primæ ab Authore Naturæ latæ ſententiæ: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*. Quid opus eſt violenter deſtruere, quod ipſo Naturæ ductu in ſua paulatim principia reſolvitur? Nec inconveniens, ut Tellus, ex qua tanquam matris alvo corpora primum educta ſunt, mortua eadem recipiat, in ſe convertat, & inſtar Saturni, quod ſemel genuit, ſubinde idem devoret & conficiat. S. Thomas 4. Sentent. diſt. 15. q. 2. art. 3. ait: quod humatio corporum Chriſtianis fidem & ſpem reſurrectionis ingerat; committitur enim terræ corpus, quaſi depoſitum; ſed extremo Judicii die reſtituendum. Et, ut ſperantur germina & flores, dum putreſcunt ſemina; ita ſpes eſt, ut, dum corpus *ſeminatur in corruptione*, *ſurgat in incorruptione*. Ep. 1. ad Corinth. cap. 15. verſ. 43.

A M O S

C A P. VIII. V. 14.

Qui jurant in delicto Samariæ, & dicunt: Vivit via Bersabeæ.

IN sensu literali communior explicatio per delictum illud intelligit vitulum collocatum a Jeroboam filio Nadab in Dan; quæ ex eo confirmatur, quod sequitur: *& dicunt, vivit Deus tuus Dan.* De juramento Gentilium per Deos suos alibi actum est.

In sensu allegorico ait hic S. Hieronymus de delicto Samariæ, quam in persona hæreticorum semper accipimus, dicente hoc eodem Propheta: *Væ, qui despiciunt Sion, & confidunt in monte Samariæ.* Despiciunt enim Hæretici Ecclesiam Dei, & confidunt in falsitate dogmatum suorum, erigentes se contra scientiam Dei, & scisso populo ejus dicentes: *Non est pars nobis in David, neque hæreditas in filio Isai.* Si quis ergo jurat in delicto Samariæ, & dicit, vivit Deus tuus Dan, & vivit via Bersabeæ, iste cadet, & resurgere ultra non poterit.

In sensu tropologico jurant in delicto Sa-

Samariæ, qui per ipsa etiam perjuria student fideles esse Mammonæ filii, per fas & nefas fastuosi & nefarii Plutonis subditi: hi sunt qui adorant vitulum aureum non sine sui, proximi, Deique injuria: Vere *nihil iniquius, quam amare pecuniam*: Sed *Christicola non est Nummicola*. *Petrus Damianus ep. 12. c. 8.*

Via Bersabeam versus, & ipsa Bersabea in magna veneratione erat Judæis ob memoriam Patriarchæ Abraham, qui locum illum suis olim precibus consecrarat. Nam Genes. 21. de eodem dicitur: *Plantavit nemus in Bersabee, & invocavit nomen Domini Dei æterni*. Sed Jeroboami tempore locus iste in via profanatus est cultu idolorum. Verisimile est enim non tantum in Bersabee idolum fuisse positum; sed etiam in via, quæ illuc ducebat; ut colligi potest ex cap. 23. Lib. Reg. 4. in quo dicitur de Josia: *Contaminavit excelsa, ubi sacrificabant Sacerdotes de Gabaa usque Bersabee*. Ad hanc urbem Idololatriæ sedem peregrinationes solebant Hebræi suscipere, via quidem illa multis longa, difficili, & periculosa, attamen in Deorum honorem frequentari solita; hinc sacra iis visa est, adeo ut jurisjurandi loco dicerent: *Vivit via Bersabeæ*: floreat, teratur, frequentetur. Et sicut viæ desertæ ac inhospitæ quasi mortuæ habentur ac lugentes, ut Thren. c. 1. v. 4. *Via Sion*

lugent, eo quod non ſint, qui veniant ad ſolennitatem; Ita viæ ob affluxum frequentem hominum, & motus pedum continuos dicuntur vivere; ut argentum vivum, aqua viva &c. Sed Deus minatur præſenti capite iis omnibus, qui hac jurandi formula uterentur: *Vivit via Berſabea: cadent, & non reſurgent.* Apud Catholicos vivunt viæ ad loca myſteriis Fidei Chriſtianæ nobilia, & Sanctorum Reliquiis celebria; vivere autem vias illas ad ejuſmodi loca faciunt peregrinationes fidelium. S. Hieron. Epiſt. 27. de obitu Paulæ inquit: *Cujus gentis homines ad loca ſancta non veniunt*? Vide Prudentium in hymno de SS. Hemetrio & Chelidonio. S. Paulinus natal. 3. de S. Felice turbas innumeras ex locis etiam remotis ad Corpus S. Felicis peregrinari ſolitas deſcribit pluribus verſibus:

Nec modus eſt populis coeuntibus agmine denſo,
Nec requies, properant in lucem a nocte, diemque &c.
Vincit iter durum pietas, amor omnia Chriſti
Vincit, & alma fides &c.

MI-

MICHEÆ

CAP. V. V. 13.

Evellam Lucos de medio tui.

Lucum locum esse arboribus consitum, extra controversiam est. Dubitant vero viri doctrina clarissimi, unde suam Lucus trahat originem? an a luceo? vel, luce careo. Isidorus lib. 14. cap. 8. de etymo Luci ait: *Potest & a collucendo crebris luminibus dici, quæ ibi propter religionem Gentilium cultumque fiebant*. Insinuat idem Prudentius lib. 2. in Symmachum:

Et quæ fumificas arbor vittata lucernas
Servabat, cadit ultrici succisa bipenni.

Accedit, quod Heroum & piorum animæ apud priscos sua plerumque in Lucis habuerint monumenta: de quibus Plato lib. 12. de legib. *Lucum arborum in circuitu plantant*. Et Cicero in Orat. pro Milone Lucos & tumulos conjungit. Idem colligere licet ex Lib. 1. Reg. cap. 31. vers. 31. & Lib. Reg. 4. c. 24. vers. 15. & 16. Constat autem ejusmodi monumentis appositas aut impositas fuisse lucernas, ut ferunt, perpetuo ardentes. An ab his luminibus, vel ab ignibus, qui religionis

& sacrificii causa in illis locis sæpius apparebant, Lucus dictus sit, incertum est. Alii volunt Lucum per antiphrasin sic esse nominatum; cum revera locus fuerit obscurus & tenebrosus. Sic enim canunt 1. Virgilius:

---- Lucis habitamus opacis.

Secundo Lucanus:

Sylva capax ævi, validaque incurva senecta
Æternum intonsa frondis stat pervia nullis
Solibus.

Tertio Papinius Latinus, qui præclare nobis Lucum Diis sacrum, & quid in eodem fuerit, ita describit:

Lucus erat longo nunquam violatus ab ævo,
Obscurum cingens connexis aera ramis,
Et gelidas alte summotis solibus umbras.
Illis & volucres metuunt insistere ramis,
Et lustris recubare feræ; nec ventus in illas
Incubuit sylvas, excussaque nubibus atris
Fulgura, non ullis frondem præbentibus auris.
Arboribus suus horror inest, tum plurima nigris
Fontibus unda cadit, simulacraque mœsta Deorum
Arte carent, cæsisque extant informia truncis.

Ipse

Ipse situs, putrique facit jam robore pallor
Attonitos.

Subscribit Poetis Quintilianus, qui L. 1. asserit Lucos esse dictos, quoniam, cum nullæ illic arbores propter religionem cæderentur, opaci essent, & sine luce. Erant igitur Luci apud Gentiles Diis consecrati. Primus Lucos & ædes Numinibus consecrasse Faunus dicitur, a quo Fana nominata, ut Probus ait. Servius notavit in Virgilio, quod ipse nunquam posuerit Lucum sine religione, & quem non aliqua consecuta sit consecratio. Hinc Virgilius *Lucos* nominat *sacratos*. Confirmat idem Valla lib. 4. ubi ait: *Lucus nequaquam caduus est, quin potius manu consitus religiosusque, atque vel alicui Deo, vel alicujus hominis cineribus consecratus*. Erat hæc fanatica & satanica Ethnicorum persuasio, ut, ubi saltum aliquem vetustis densisque arboribus consitum invenirent, illi Numen aliquod inesse crederent. Sic Ovid. lib. 3. Fastor. de Fauni Luco ait:

Lucus Aventino suberat, niger ilicis umbra,
Quo possis viso dicere, Numen inest.

Apte in hanc rem Romanus Sapiens Epist. 41. *Si tibi occurrerit vetustis arboribus, & solitam alitudinem egressis frequens lucus, & conspectum cœli densitate ramo-*

rum aliorum alios protegentium summovens; illa proceritas sylvæ, & secretum loci, & admiratio umbræ in aperto tam densa atque continua fidem tibi Numinis facit. Imo arbores & sylvas fuisse Gentilibus instar Numinum, Plinius testatur l. 2. cap. 2. Templa scilicet prisco ritu simplicia, & non magis auro fulgentia atque ebore simulacra, quam lucos, & in iis silentia ipsa fuisse adorata. Suffragatur Plinio Quintilianus: *Sacros ex vetustate Lucos adoramus, in quibus grandia & antiqua robora jam non tantam habent culturam, quantam religionem*. Hinc quæ in Lucis decreta erant, sanctiora ob loci religionem habebantur. Vix ullus erat Deorum aut Dearum, qui non haberet Lucum & arborem hominibus venerabilem. Meminit stultæ hujus venerationis S. Augustinus serm. 241. de tempore: *Quicunque in agro, aut villa, aut juxta villam aliquas arbores, aut aras, vel qualibet fana habuerit, ubi miseri homines solent aliqua vota reddere*.

Benedictus Curtius Symphorianus plures Lucos enumerat, qui olim Jovi, Junoni, Minervæ, Isidi, Cybelæ, Osiridi, Æsculapio, Dianæ, Apollini, Vulcano, Veneri, Cupidini, Bellonæ, Libero Patri, Sylvano, Aricini omnium maximo &c. fuerunt consecrati. Non prætereundi sunt nobis

nobis hic ii Luci & arbores, quæ prisci olim Germani Dii suis dicarunt, eosdemque in iis coluerunt, ut Tacitus refert in Annalibus suis, & in libro de moribus Germanorum. Ex Ernesto Brotusio scribit Petrus Albinus l. 1. cap. 6. quod civitas Mersspurgensis (quasi Martis-Berg) antiquitus ad Caroli usque Magni tempora Martem atque Zuttiberum (quem Græci Dendrodæmona, Germani Holß-Teuffel appellarunt) coluerit in querceto, seu Luco quernis arboribus consito, ad quem certis temporibus, sacra ei faciendi gratia, maxima hominum multitudo confluxerit. Hujusmodi autem sylvas, Lucosque sacros (in quibus & equos sacros alebant, e quibus de futuris divinarent) Hagen appellarunt, a nomine Græco ἅγιος, ut nonnulli censent: erant enim sacrosancti, in quibus arbores cædere, aut earum ramos amputare capitis supplicio erat interdictum. Cum vero antiquitus ad lucos hujusmodi confluerent quamplurimi homines ex locis etiam remotissimis; hinc peregrinatio Germanis Wall, quasi Waldfarth, id est profectio ad sylvam dicta est.

Notandum porro, Lucos non solum Diis consecratos; sed etiam nominibus eorum fuisse insignitos. Sic Ovid. lib. 2. Fastor. ait:

Monte sub Esquilio multis incaeduus annis

Juno-

Junonis magnæ nomine Lucus erat.

Apud Justinum & Plutarchum legere est de Luco Martis, in quo Mars Iliæ Vestali virgini fertur vim intulisse, ne rei, scilicet tam præclaræ, memoria interiret. Fuit & Martis Lucus apud Colchos, cujus meminit Juvenalis Satyr. 1. Verisimile quoque est, Lucos iis arboribus fuisse consitos, quæ certis Diis sacræ erant. Constat de Daphne nemore Laurifero prope Antiochiam Apollini sacro, & querceto Jovi Dodonæo. Lucus Belo consecratus videtur fuisse salicetum in medio Babylonis prope Euphratem, qui eandem urbem interfluit; & eodem forte spectat illud Psalmi 137. *In salicibus, in medio ejus suspendimus organa nostra.* Philo lib. de Monarchia indicat, tum ex frugiferis, tum ex sylvestribus constitisse Lucos. Erant apud Hebræos Idololatras illæ arbores & in usu, & in pretio, quarum Oseas meminit cap. 4. *Subtus quercum, & populum, & terebinthum, quia bona umbra ejus.*

Dici interim vix potest, quanta apud Ethnicos fuerit Lucorum veneratio: erant Asylum reorum, ut ex Libris Machabæorum constat de Luco Daphnitico. Virgil. lib. 8. Æneid.

--- *Hunc Lucum, quem Romulus acer asylum.*

Et

Et Ovidius l. Fastor.

Romulus ut saxo Lucum circumdedit alto,
Quilibet huc, dixit, confuge, tutus eris.

Præterea, nec in ipsa necessitate per Lucos invios fas erat meare. Nec uti iis licebat ad venationem, aut eorum animalia occidere, nisi sacrificii & Numinum gratia. Nefas erat non mediocre, loca ejusmodi profanare; hinc capitalis pęna in sacrilegos profanatores statuebatur, & expiandum erat violatoris caput. Horatius Jovem ipsum canit Lucorum hyperaspisten & vindicem: *Tu parum castis inimica mittis fulmina Lucis*. Diana fertur aerem pestilentia infecisse ob Lucum in Aulide ab Agamemnone violatum; nec prius lues sedata fuit, quam Iphigenia Agamemnonis filia immolaretur. Auxere hanc Lucorum religionem prodigia & portenta, quæ circa arbores dæmonum fraudulentia contigerunt. Apud Græcos Aristander volumen de iis conscripsit. Apud Latinos C. Epidius commentarios, in quibus multæ arbores locutæ reperiuntur; aliæ feruntur amputatæ subito germinasse; virentes illico arsisse; ligna vetera excisa floruisse &c. Quid? quod oracula Deorum & responsa ex arboribus Gentiles acceperint. Nihil notius Dodonæa quercu, de qua Homerus Odyss. 3.

Dodonamque ferunt illum mox esse profectum;
Consilium Jovis e quercu captaret ut alta.

Tibull. l. 2. Eleg. 5.

Atque tubas atque arma ferunt strepitantia cœlo
Audita, & lucos præcinuisse fugam.

Ovid. 15. Metam.

- - - - Cantusque feruntur
Auditi, sanctis & verba minacia Lucis.

Virgil.

Vox quoque per Lucos vulgo exaudita silentes
Ingens, & simulacra modis pallentia miris
Visa sub obscurum noctis.

Sed quid causæ, quod in Lucis coli Dæmon voluerit? 1. est: quia veræ religionis est Simius. Adverterat sacrosanctum veri & unius Dei cultum a Patriarchis olim in lucis, arboretis, locisque ad silentium & vacandum Deo opportunis solere fieri. Abraham enim, ut locum invocando Numini haberet commodum, nemus plantasse legitur in Bersabee.

Cajetanus ait, fuisse nemus illud tanquam templum & oratorium tam Abrahæ, quam aliis verum Deum colentibus. Isaac Genes. 24. legitur egressus ad meditandum

in

in agro. Videtur Jacobo fuiſſe ſacra quercus illa, ſub qua Deus illi (ut ex textu poteſt colligi) apparuit. De Joſue autem dicitur, quod *tulerit lapidem prægrandem, & poſuerit eum ſubter quercum, quæ erat in ſanctuario Domini;* ubi vides, infert Pineda noſter, quercum, aut quercetum eſſe ſacrum Deo & ſanctuarium. Quare & diabolus loca ſimilia ſacris ſuis voluit deſtinari. Secunda cauſa eſt; quia non poterat aptiora tegendis ſuis fraudibus atque nequitiis loca eligere, & cultoribus ſuis præſcribere, quam Lucos. Hinc forſan malignus ille ſpiritus perſuaſit Perſarum Magis, deſtruenda eſſe templa Diis poſita, ſub hoc ſpecioſo titulo, quod a ratione & pietate alienum videretur, Deos cæli terræque dominos templorum parietibus includere. Sed ipſe eadem, velut minus idonea illudendis hominibus videtur reſpuiſſe: quanquam non improbarit alias, imo placere ſibi ſignificarit, ut in Lucis delubra, Deorum fana, ac ſacella erigerentur; atque ita quaſi duplici velo lucorum & fanorum ſacra ſua abominanda magis tegerentur.

Joſue c.24.

L.5. de rebus Salom. c.8.

Ex dictis patet, quam in præſenti verſu juſta fuerit Dei comminatio: *Evellam Lucos de medio tui.* Quanquam alias Judæis mandarit, ut Lucos Gentilium exſcinderent, comburerent & loca ejuſmodi

ſacri-

sacrilega penitus everterent ac profanarent. Vetuit illis præterea in Deuteronomio, ne plantarent sibi Lucum ex ullis arboribus juxta altare Domini. Hinc Jeroboamum, aliosque Judæorum Reges corripuisse Deus legitur, & puniisse, quod vel Lucorum religionem amplexi sint, vel non sustulerint. E contra laudem immortalem est promeritus Rex Josias; quod contriverit statuas, Lucos succiderit, & repleverit loca eorum ossibus mortuorum.

Lucos cum Josia odio habent & succidunt, qui non *communicant operibus infructuosis tenebrarum, sed ut filii lucis ambulant in omni bonitate & justitia & veritate*. Hi manifestari opera sua non refugiunt in ædificationem proximi. E contra *omnis, qui male agit, odit lucem*, lucos quærit, & loca tegendis suis sceleribus idonea, *ut non arguantur opera ejus*, quæ tamen olim patebunt omnibus in conspectu cæli & terræ, non sine summa confusione & ignominia.

Ad Eph. cap. 5.

HA·

HABACUC

CAP. I. V. 16.

Propterea immolabit ſagenæ ſuæ, & ſacrificabit reti ſuo.

Videtur Metonymia hic eſſe, & poni continens pro contento, ſcilicet ſagena & rete pro piſcibus; cujuſmodi eſt illud apud Virgilium: *Nunc pateras libate Jovi*, id eſt, vinum, quod in pateris continetur. Refert igitur hic Propheta, & explodit abſurdiſſimam Syrorum ſuperſtitionem, quod Nabuchodonoſor pro triumphis reportatis captiſque Judæis Derceti relaturus ſit in acceptis victoriam, & piſcibus ſacrificium oblaturus, qui non ſolum vincendi & capiendi vim præſtare ei non potuerunt; ſed ne ſe ipſos quidem valent defendere, quin ab ipſo, aut quovis alio, quotieſcunque libuerit, reti ac ſagena capiantur.

Cauſa piſces ut Deos colendi aſſignatur non una. Hyginus ex Diogeneto hanc fuiſſe occaſionem ſcribit: quod Venus una cum Cupidine filio ſuo in Syriam ad Euphratem venerit, ibidemque Gigas Typhon apparuerit, quo viſo ſic exterrita

fuit

fuit Dea, ut in fluvium se cum filio projecerit, & sic piscium formam induta periculum evaserit. Ob id factum ab esu piscium Syri abstinent, cum Deos capere vereantur, aut eorum præsidia impugnare. Aliam causam vide relatam L. Reg. 1. cap. 5. Nigidius narrat, a piscibus servatum fuisse ovum quoddam, ex quo Venus Syria postmodum fuerit prognata, Jovem vero gratitudinis loco pisces inter duodecim signa Zodiaci collocasse, ideoque Syros ab esu piscium abstinuisse; quanquam alii abstinentiam illam in honorem Rheæ institutam fuisse putent; cum Dea hæc sit credita pluviis potissimum præsidere: ῥέω enim græce *fluo* significat; & cum putarent Assyrii ex aere & aqua naturas rerum constare, pro unda ipsos pisces coluere. Vide dicta Deuter. cap. 4. Quamvis autem Chaldæi alios Deos colerent, piscium tamen præ aliis Propheta meminit, ut eo majorem in hominibus excitaret aversionem, quo stolidiorem eorum superstitionem esse cognoscerent: tum ut crederent Judæi, permisisse Deum ut subjugarentur non in gratiam Nabuchodonosoris Idololatræ; sed tantum ut populum sibi peculiarem corriperet, ac emendaret.

HA-

H A B A C U C

CAP. II. V. 18.

Ut facerent ſimulacra muta.

QUæri hic poſſet, qua ratione ſimulacra dicantur muta, cum legantur in hiſtoriis ſæpius eſſe locuta, & edidiſſe oracula. Lactantius l. 2. Divin. inſtit. c. 8. *Illud etiam mirabile, quod ſimulacrum Fortunæ Muliebris non ſemel locutum eſſe traditur.* Confirmat idem Dion. Halicarnaſſeus, impium ſcilicet & irreligioſum eſſe, ſi quis Fortunæ ſimulacrum locutum fuiſſe non credat; verba etiam refert ab eodem prolata: cum enim ex Senatus conſulto publice locatum eſſet Deæ templum, atque ſimulacrum, ſeorſim ex collatitia matronarum pecunia alia effigies locata fuit; cumque utraque conſecraretur, eo ipſo die dedicationis, ea, quæ mulierum ſumptu parata fuerat, Latine locuta fertur in mulierum præſentia, voce clara & diſerta: *Rite me matronæ dedicaſtis*; & cum quidam ex populo dubitarent, majore voce iterum totidem verba a ſimulacro fuiſſe repetita. Certe S. Auguſtinus in L. de Civit. Dei Fortunæ Muliebris ſimulacrum locutum eſ-

ſe non abnuit, & loqui potuiſſe facile concedit: ait enim: *Quod quidem, ſi verum ſit, mirari nos non oportet: non enim malignis dæmonibus etiam ſic difficile eſt fallere*. Refert Valerius Max. l. 1. ſub tit. de miracul. Milites, captis a Furio Camillo Vejis, juſſu Imperatoris ſimulacrum Junonis Monetæ, quod ibi præcipua religione cultum erat, in Urbem translaturos, ſede ſua movere conatos eſſe, quorum ab uno per jocum interrogata Dea, an Romam migrare vellet? *velle ſe*, reſpondit, & hac voce audita luſum in admirationem verſum eſſe. Idem narrat Lactantius l. 2. c. 18. Suidas tradit, quod Dodonæ, ubi Jupiter colebatur, quercus fuerit una cum oraculo mulierum fatidicarum, conſultoribus autem accedentibus movebatur, ſcilicet quercus, & reſonabat: dæmonum enim voces inarticulatæ ſunt; illæ vero, fatidicæ nempe, dicebant: *hæc ait Jupiter*. Alexander Magnus in epiſtola quadam ad Philoſophum data de rebus Indiæ mirabilibus ſcribit: Arbores duas Soli & Lunæ ſacratas, Indice & Græce fuiſſe locutas, & de his, quæ conſultare tacite cogitarat apud ſe, certa & aperta protuliſſe reſponſa. Philoſtratus quoque meminit, in ſummis finibus Thebanorum ulmum, a Theſpaſio incantatam, Apollonio fuiſſe locutam voce articulata, ac muliebri. Cyrillus l.
3. con-

3. contra Julianum ait: fluvium Causum Pythagoram, *salve Pythagora*, salutasse. *In Insulis Fortunatis, quas Canarias vocant, priusquam in ditionem Christianam venirent, dæmones in Idolis aperte loquebantur populo, & se jubebant coli ac adorari.* Verba sunt Joannis Ludovici Vives. Addit Josephus Acosta, & pro certo constare testatur in rerum Indicarum historia, ipsamet simulacra apud Indos de quæsitis oracula reddidisse. Denique Euripides in Iphigenia, Dianæ simulacrum locutum fuisse in Tauris memoriæ prodidit:

Sed quod delapsum fuit e cælo, Jovis filiæ
Simulacrum, navi o media sonuit
Clamorem quendam: O terræ Græciæ nautæ, navis
Incumbite remis, & fluctus verrite.

Fuerunt, qui idola unquam locuta esse negarunt. Titus Livius fabulam fuisse censuit simulacrum Reginæ Junonis locutum esse. Plutarchus in Coriolano inquit: arduum esse, & ęgre credi, simulacrum Fortunę vocem articulatam edidisse. Ut ipsa Gentilium Numina, sic & Oracula eorum irrisit Lucianus. Benedictus Arias Montanus negat unquam locuta fuisse idola, & loqui potuisse; non quod dæmon id facere non posset; sed quod Deus idem fieri nunquam permiserit. Sed cum alia in speciem

miranda ope dęmonum fieri Deus non prohibuerit, non abſolute videtur negandum, locutionem ejuſmodi factam eſſe. Vocat igitur Scriptura, & Habacuc Propheta muta ſimulacra, quod lapides, ligna, & metalla, quibus conſtabant, ſuapte natura omnis vocis ſint expertia. Confirmari illud ex eo poteſt, quod ſequitur: *Omnis ſpiritus non eſt in viſceribus eorum*; ſive, nullus eſt in eis ſpiritus, nulla anima, quę informet, ac vivificet; fuerunt proinde lignorum voces aut lapidum miniſterio dæmonum effictæ.

In ſenſu tropologico ſimulacra muta ſunt ii omnes, qui ex officio tenentur quidem monere alios vel corripere, ſed metu aut ſpe impediti, ſilent, quæ dici oporteret. Quorum ſilentium ſuo tempore mutabitur in ejulatum, quem dudum Jeremias incepit: *Væ mihi, quia tacui.*

SOPHONIÆ

CAP. I. V. 4.

Diſperdam reliquias Baal, nomina æditNorum cum Sacerdotibus.

FUerunt ex Hebræorum Regibus, qui pro laudabili zelo Religionis ſuæ ſuperſti-

ſtitioſum Idolorum cultum abolere conati ſunt; ſed non ſemper omnem ita, quin reliquiæ ſaltem aliquæ non ſuperfuerint. Tales erant Excelſa, in quibus populus adhuc ſacrificabat: hinc, quamvis de variis Regibus legatur in Libris Regum, quod rectum fecerint coram Domino, tamen ſubjungitur, *veruntamen Excelſa non abſtulit*. Meminit Propheta in præſenti Capite tribus Juda, & eorum, qui habitabant in Jeruſalem: quamvis enim Deus omnem Idololatriæ cultum abominatus ſemper fuerit in Gentilibus, & magis in decem tribubus, quæ Jeroboami partes ſecutæ ſunt, maxime tamen apprehendit, cultum illum a tribu Juda in civitate ſua Jeruſalem exerceri, ita ut per Sophoniam hic minetur, omnem a ſe idololatriam adeo delendam, ut nullæ de aris & focis, de lucis & fanis, de ſacrificiis, ſacerdotibus & excelſis ſuperfuturę ſint. Ejuſmodi reliquias inter converſos Gentiles ſubinde invenire fuit in primitiva Eccleſia, quæ tamen ſucceſſu temporis penitus ſublatæ ſunt, vel in meliores ritus commutatæ. Septuaginta legunt: *Diſperdam nomina Baalim*, quod interpretatur, *in ſublimioribus*, ait hic juxta anagogen S. Hieronymus: *Auferet autem Dominus nomina vanæ gloriæ, & admirationis falſæ, quæ verſantur in Eccleſia*. Nec alię erunt horum

nominum reliquiæ, quam ignominiæ & confusiones perpetuæ.

Nomina adituorum cum Sacerdotibus. Æditui ministri erant Templi Baal: a verbo ædituor nomen provenit, quasi ædem tueor; hinc æditui, quasi sacræ ædis tutores; quorum officium erat, custodire templum, aperire, claudere, purgare, ornare, advenas docere ceremonias, & cultum Baal, oblationes excipere, choros canentium & choreas saltantium adornare, imo præire more furentium & bacchantium. Hinc S. Hieronymus Hebraicum nomen *Kemarim* vertit *fanaticos*, quasi enthusiasmo actos, & dæmonis spiritu afflatos. Alii dicunt *Kemarim* idem significare, quod *accensores ignis & thuris*; a radice *Kamar*, id est, *accendit*, *ussit*, ita ut videantur Gentiles æditui fuisse quasi Diaconi subservientes sacerdoti victimam mactanti & offerenti. Mariana, & Vatablus censent dictos esse *Kemorim*, quasi *exustos* vel *atros*, a pullo vestitu. Hinc Pagninus vertit, *qui nigras induunt vestes*. Sed non sufficienter videtur probari ex dicto verbo exustionem vel nigredinem vestibus convenire, cum magis constet Gentilium sacerdotes, uti Hebræorum, albis tunicis fuisse indutos; quemadmodum sacerdotes Ægyptii, qui hinc *linigeri* dicti sunt, & in sacris Deæ Eleusinæ sacerdotes albis amictos fuisse Tertul-

tullianus testatur l. de pallio. Proin prior versio verisimilior est; scilicet quod per Kemarim intelligantur accensores ignis & thuris, qui simul ignem illum debebant conservare. Sic Custodes Ignis Romæ erant Vestales virgines, in Cappadocia Magi dicti Pyreti, qui ignem servabant & fovebant, ne extingueretur, cum certis precibus & ceremoniis, uti docet Strabo l. 15. Videntur itaque hi æditui simii æedituorum, quos Deus jusserat custodire diu noctuque ignem illum, quo comburendæ erant victimæ, Levit. 6. v. 12. & per dies singulos tam mane quam vesperi Thymiama erat incendendum, Deoque adolendum.

Habebat quoque æedituos suos & Corybantes Cybele Deorum mater: habebat ministros suos Dionysius in Orgiis, furentium more bacchantes; habebat linigeros suos Isis Ægyptiorum Dea, tam fœda in sacris operantes, ut sacerdotum operantium, & ipsorum operum nomina jugi oblivione mererentur deleri; cumque infanda Gentilium flagitia Judæi imitarentur, hic per Prophetam suum minatur Deus, se saltem in tribu Juda, & in urbe Jerusalem non solum idololatriam, sed ipsa idololatrarum & æedituorum nomina extincturum.

Conatur etiam Christi Ecclesia Dei e-

xemplo omnem idolorum cultum extinguere, & nomina Baal disperdere: hinc non solum festa falsorum Deorum & nomina abolevit; sed etiam veri Dei, & Sanctorum festa & nomina substituit. Verba Theodoreti sunt: *Pro Pandiis, & Diasiis, & Dionysiis, hoc est, Jovis Liberique Patris solennitatibus, Petro, Paulo, Thoma, Sergio, Marcello, Leontio, Antonio, Mauritio, aliisque sanctis Martyribus solennitates populi epulo peraguntur*. Gaudet pariter & desiderat, dies Hebdomadæ non Martis, Jovis, & Veneris, sed potius feriarum nomine appellari: & hic usus sic nominandi dies modo Tertulliani tempore receptus videtur, quo discerent Christiani cum abolitione Gentilium nominum ab omni pariter flagitioso opere feriari. Triduum præcedens Quadragesimam non Bacchanalia, sed Antecinerales dies nominat Ecclesia. Bonifacius Pontifex, ubi a Phoca Imperatore impetravit Pantheon Jovi Vindici consecratum, ut ejusdem nominis cultusque interiret memoria, templum illud in honorem Dei Genitricis Mariæ, & omnium SS. Martyrum consecravit. Sic Gelasius Papa festivitatem mensis Februarii a Februo, id est, Plutone sic dictam, & solennitatem Lupercalium in festum Hypapantis sive occursus Domini, & Purificationis B. V. Mariæ com-

commutavit. Multa certe in Germania loca sunt S. Michaeli sacra, & hæc olim a cultu Martis credibile est nomen suum obtinuisse. In ipsa Ubiorum civitate adhuc platea Martis invenitur, & in eadem sacellum S. Michaelis nomini dedicatum. Sic reliquias Baal, sic æditiuorum ac Deorum Gentilium nomina disperdere conati sunt Fideles Christiani, quos laudabili studio æmulatus est Julius Scalerus Augustanus, non ferens stellas animalium abjectorum, Deorumque nominibus insigniri. Quare novam composuit Uranometriam, & obductis Gentilium fœditatibus, stellatum cælum mysteriorum Christianæ Religionis, Sanctarumque ac Deo amabilium personarum memoria insigni conatu illustravit, Conditorique suo postliminio quasi restituit. Antiqua signa, qualia sunt Aries, Taurus, Gemini &c. aboleri prorsus voluit, ac ne nominari quidem, & nova Apostolorum signa sive hieroglyphica supposuit, sequenti bimetro expressa:

Clavis, crux major, baculus, scyphus, hasta, sudesque,
Crux, culterque, bipennis, serra, & clava, securis &c.

In sensu tropologico Dæmonum æditui sunt omnes impii, præsertim luxuriosi, quos adeo aversatus est Apostolus, ut eorum opera, & operum nomina Fidelibus

quasi

quasi barbara ac peregrina esse cuperet. *Fornicatio & omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos.*

SOPHONIÆ

CAP. III. V. 4.

Prophetæ ejus vesani.

QUo tempore Deus inter Israelitas oracula reddebat, & Vaticinia per Prophetas suos; Satan operum Dei æmulus & imitator responsa quoque hominibus dare conatus est in templis & idolis, quę jam sibi erigi ubique curaverat, illudebatque miseris mortalibus, mentes eorum falsis fascinans miraculis & Prophetiis; ut ad cultum suum magis illos alliceret. Sed jure in præsenti Capite a Deo per Prophetam redarguuntur Gentilium Prophetæ, aut eos imitantes Judæi, quod vesani essent, a spiritu diabolico agitati. Ab Aquila dicuntur enthusiasmo correpti, & furore fanatico perciti. A Septuaginta πνευματοφόροι, id est spiritum ferentes, active, vel potius passive πνευματόφοροι, spiritu acti, non alio certe, quam dæmoniaco, ut S. Ambros. ait in Epist. ad Corinth. cap. 2. *Spiritus mundi hic est, per quem cor-*

corripiuntur fanatici, qui sine Deo sunt: est enim inter mundanos spiritus potior, unde solent conjecturis, quæ mundi sunt, divinare, quem Pythonem appellant. Diodorus Siculus, ubi de oraculo Pythico scribit, originem furoris Prophetici detegit: *Cum in eo loco, ubi templum postea extructum est, circumpascerent capræ, factum est, ut una ex grege frequenter ad hiatum illum accederet, & quotiescunque introspexisset, toties reversa miris & inusitatis gestiret saltibus, vocemque sonaret insuetam &c. Quæ pastor miratus, cum accederet & ipse, hiatum spectaturus, mox eodem impetu hausto conceptoque, simili modo exsilire, & vaticinia fundere incipit. Fama increbrescit & pervulgatur; fit concursus ingens ad hiatum, & quotquot demittunt sese, statim fatidico halitu afflati furibundis similes evadunt.* Hæc Diodorus.

Jamblichus ad Porphyrium scribens duplicem rationem adducit, qua Sybilla Deum suscipere solita est: „ Aut enim per „ tenuem spiritum, & ignem, qui alicubi „ ex ore quodam antri prorumpebat, aut „ ipsa etiam in adyto sedens super æneam „ sellam, quæ tripes vel quadrupes foret, „ Numinique dicata, & utrobique divino „ illo spiritu acta, fundebat vaticinia. I„ taque cum plurimus ignis ex antro evo„ lans

„ lans vati undique circumfunditur, eamque suo numine repletam agitat, aut item sacratæ sedi adhæret, per quam Deo afflata in vaticinia erumpit. „ De simili ita canit Virgilius l. 6. Æneid.

------ Non vultus, non color unus,
Non comptæ mansere comæ, sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument, majorque videri,
Nec mortale sonans, afflata est Numine quando
Jam propiore Dei.

Et paulo infra:

Bacchatur Vates, magnum si pectore possit
Excussisse Deum: tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.

Laurum præterea tales Fanatici mordebant, & cervices rotabant. Cornelius Nepos l. 3. ex Darete, si tamen ejus libri Author habendus est:

Ad tripodas quæstura fugit, ramosque loquaces
Ore premit, poscensque Deum non irrita longum
Fatis plena redit, claretque interprete vultu
Extorti vindicta Dei furiosa potestas.
Imbelles vexat artus cervice rotata,

Crine

Crine umbrante humeros, oculis spargentibus ignem,
Et facie prodente fidem; nunc livida vitrum,
Nunc flammata facem superat, nunc pallida buxum.

Quis credat, etiam in vera Religione Fideles sacratiori spiritu sic incitari, ut aliis videri possent insanire? Quam exoticus fuisse legitur in libris Regum saltantium & canentium Prophetarum cuneus? & adjunctus eisdem Saul, de quo Scriptura ait: *Exspoliavit etiam ipse se vestimentis suis, & prophetavit cum cæteris coram Samuele, & cecidit nudus tota die illa ac nocte.* Lib. Reg. 1. cap. 19. Quid de Jeremia quis diceret denudato, & per plateas ambulante? An non vesanum mundano homini videri posset Evangelium, suadens *pro maledicentibus Deum orare, paupertatem quærere, possessa relinquere, rapienti non resistere, percutienti alteram maxillam præbere &c.* Fuit tempore S. Hieronymi, qui sacra ejusmodi sequentes consilia & præcepta carperet, mundi contemptores, & mortificationis studio deditos velut insanos irrideret; quem idem S. Doctor Epist. 45. ad Asellam ita perstringit: *Tu tales miseros arbitraris, nos te miserabiliorem putamus; par pari refertur, & invicem nobis videmur insanire; gratias ago Deo*

S. Greg. l. 6. mor. c. 16.

Deo meo, quod dignus sim, quem mundus oderit. Jacobonus peramanter a Christo rogatus fertur, *cur sic adamaret stultitiam?* & pio, ut solebat, lepore reposuisse: *quia stultior fuisti me, Domine*. Explicat nobis S. Bernardus cap. 11. ad Milites Templi stultitiam Christi, ut mundi confutaret sapientiam, confunderet sapientes, quod videlicet, cum in forma Dei esset, Deo æqualis, semetipsum exinaniverit, formam servi accipiens; quod, dives cum esset, propter nos egenus factus est, de magno parvus, de celso humilis, infirmus de potente &c. *Hæc ipsius stultitia nonne fuit nobis via prudentiæ, justitiæ forma, sanctitatis exemplum?*

A B D I Æ

CAP. I. V. 18.

Non erunt reliquiæ. Septuaginta Interpretes: Non erit πυροφόρος.

CEnsent aliqui, per reliquias hic intelligi nuntios aut veredarios, qui frumentarii olim dicebantur; quod curam haberent annonæ advehendæ, & admetiendæ; ita ut sensus sit: Nec veredarius sive nuntius cladi supererit. Verosimilius legunt

Se-

Septuaginta, πυροφόρος, ignifer. Alludere enim videtur Propheta ad sensum qui præcessit: *Erit domus Jacob ignis*. A Castro sic exponit: Non erit superstes Idumææ, qui posteris vitæ, generisque lampada tradat. Stirpis enim propagatio lucerna in Scripturis vocatur: ut enim lucerna ignem & lumen, sic generatio conservat familiam. *Ut maneat lucerna David*. Lib. Reg. 3. cap. 11. Hæc explicatio alludit ad ritum veterem λαμπαδευχεῖν vocatum; quo solebant in ludis Promethei (quem primo credebant ignem de cælo in terram sustulisse) defatigati cursores lampadem recentibus sibi succedentibus in manus dare. Erat ludus hic symbolum humanæ propagationis, juxta illud Lucretii:

Et quasi cursores vitai lampada tradunt.

Sic Plato l. 6. de legibus ait: cives debere operam dare generationi, ut ipsi vitam a majoribus haustam vicissim, quasi tædam ardentem, posteris tradant. Hinc a Prometheo forsan Græci hoc sumpsere proverbium, Non est Pyrophorus, id est, superstes. Fertur enim Prometheus evasisse diluvium Deucalionis, ideoque genus humanum cælesti igne restaurasse; & si hic Pyrophorus fuisset extinctus, & genus humanum una interiisset.

In sensu morali per Pyrophoros intelliguntur Prædicatores Verbi Dei: tales enim

enim expeditos esse convenit ad currendam viam mandatorum Domini ; præterea facem doctrinæ & veritatis aliis communicandæ inextinctam conservare , secundum illud Christi : *Sint lumbi vestri præcincti , & lucernæ ardentes in manibus vestris*: Ne unquam generatio novæ creaturæ in Christo deficiat. Quam non soliciti sunt homines, ut sui reliquias posteritati reservent ? Ideo enim Romani Sabinas rapuerunt mulieres, ut ex historiis constat . Ideo septem mulieres apud Isaiam cap. 4. leguntur apprehendisse virum unum . Ideo ipsam naturam vicisse censendus est Abraham, quod unicum sacræ stirpis pyrophorum e medio tollere paratus fuerit . Ideo mulier Thecuitis Davidi instantissime supplicat: *Quærunt extinguere scintillam meam, quæ relicta est, ut non superfit viro meo nomen, & reliquiæ super terram*. Ideo velut magna a Deo pœna Judæis præsenti Capite intentatur: *Non erit Pyrophorus*.

Lib. Reg. 2. c. 14.

Pari , si non potiori jure solicita est Christi Ecclesia de divini verbi præconibus , consecratis Deo Pyrophoris , qui electam spiritualium filiorum stirpem augeant & propagent, non carnali more , sed spirituali , pietate scilicet , doctrina, & exemplo, de quibus ita canit vetus Poeta Aratus Hypodiaconus :

Ecclesiæ nunc alma fides sine fine pudicos

Pon-

Pontifices jubet esse suos, & quærit in omni
Cauta tribu, quos rite probet, nec sanguinis iste,
Sed meriti successus erit.

Longe ampliori & nobiliori successu, quam ulla Regum ac Principum hujus sæculi esse posset. Quam excellentes Pyrophori fuerunt Apostoli? Adversus unicam Petri successionem hucusque portæ inferi non potuerunt prævalere. Quales Pyrophori Martyres? qui conservando veræ fidei lumini olei loco sanguinem effuderunt. Quam insignes Pyrophori Confessores, ut S. Basilius, Augustinus, Dominicus, Franciscus? D. Benedictus, qui teste Genebrardo habuit aliquando in suo Ordine filios 30000. S. vero Ignatius socios Anno 1710. undeviginti mille nongentos nonaginta octo, e quibus sacerdotes fuere, novi scilicet Pyrophori, novem mille nongenti quinquaginta septem.

A M O S

CAP. II. V. 8.

Super vestimentis pignoratis accubuerunt juxta omne altare.

VIdentur hic argui Apostatæ Judæi, quod immolantes victimas vitulis aureis in Dan & Bethel juxta aras epulantes discubuerint in lectulis, vestibusque, quæ ablata erant renuentibus tam impiam vitæ societatem cum iisdem inire, quasi pignora pro debitis, vel quod ex iis divenditis victimas, epulasque instruxerint. Notandum hic primo est, persuasissimum fuisse Ethnicis, tum demum Deos sibi propitios futuros, si eis vestes offerrent. Solebant autem, ut observat Melanthius in lib. de Mysteriis, illam imprimis vestem Diis offerre, ac in templis dicare, quam quis gestasset, dum initiaretur. De pavimento vestimentis instrato meminit Asius Poeta apud Athen. l. 12. cap. 9.

Sic illi pexi Junonis templa petebant
In lucum, ornati perpulchris vestibus, atque
Tellurem niveis texerunt vestibus omnes.

Athenis feriæ omni anno hoc fere ritu ce-

le-

lebrabantur, toto templo mirifice instructo, & pavimento stragula, ut verisimile est, veste contecto, Plinteria Græcis dicuntur, quibus, ut Plutarchus ait in Alcibiade, *Templi ornamentum omne deponunt, pavimenta tegunt* &c. Dicuntur autem accubuisse Judæi super vestimentis pignoratis, ut explicat Martinus de Roa, quod illa fuerint quasi pignus devotionis aut initiationis Diis consecrata; aut quod ab initiatis tanquam insigne ejus Numinis, cui se dicabant, gestata fuerint. Notandum secundo, familiare fuisse Gentilibus post peracta sacrificia solennia imprimis ac publica, mensis accumbere, & convivia celebrare eo ipso in loco in honorem Deorum, quibus sacrificatum erat. Ejusmodi conviviorum sacrificalium aperte meminit Homerus in omnibus fere sacrificiorum descriptionibus, uti & Apollonius in Argonautici sacrificii descriptione. Duabus Gentiles ex causis has epulas peragebant: tum, ut Deos suos colerent, quos noverant comessationibus hominum, & potationibus delectari; tum, ut ex rerum, quibus operati fuerant, divinarum meditationibus & actionibus animos suos reficerent, & recrearent.

Apparatus epularum hujusmodi sacrificalium in his consistebat. 1. Carnes ex sacrificio reliquas in minores partes seca-

bant. 2. Partes sic dissectas affigebant verubus. 3. Affixas solicite assabant. 4. Assatas verubusque detractas in certas portiones singulis convivis distribuendas dividebant. 5. Certa erat convivarum collocatio, consessio, & accubatio. 6. Cibi potusque sumptio. 7. Sermocinatio convivantium & collocutio. 8. Cantus & musica tam vocalis, quam instrumentalis. 9. Tripudia, saltationes & ludi, quorum Homerus aliique frequenter meminerunt. 10. Libationes, quales in ipsis sacrificiis erant usitatæ. 11. Linguarum ex immolatis hostiis excisarum in honorem Mercurii concrematio. 12. Precationes ante & post epulas. Demum lavatio & aquarum aspersio, quæ in fine ac principio tam sacrificiorum, quam epularum sacrificalium fiebant.

Accubitum vero quod attinet, de quo expresse Propheta meminit, notandum est, solitos esse Veteres accumbere mensæ humili, cui apponebantur lecti instrati aulæis, purpura, aut alia veste stragula, pro copia vel inopia convivatoris. In illis loti prius & exuti soleis accumbebant, reclinata supera parte corporis in cubitum sinistrum, infera in longum porrecta ac jacente, capite leviter erecto, dorso modicum a pulvillis suffulto: primus ad caput lecti decumbebat pedibus ad dorsum secundi

por-

porrectis, secundus occiput ad umbilicum primi obvertebat, pedibus ad tergum tertii porrectis, & sic deinceps &c. Hinc incidenter animadvertendum, 1. Jure Christum Dominum Simoni objecisse; *Aquam pedibus meis non dedisti*. 2. Quam facile potuerit S. Joannes supra pectus Domini recumbere. 3. Quam commode Magdalena potuerit pedes Christi post tergum alterius positos lacrymis rigare & inungere.

Septuaginta vertunt non accubitum, sed concubitum, quasi vestimenta ligarint funibus, sive περιπετάσματα, id est velamina fecerint altari adhærentia, ne infanda in idolio committentes scelera viderentur. Simili fere modo Beelphegor a Moabitis Judæisque cultum esse colligi potest ex Numer. cap. 25. Confirmat idem Minutius Felix in Octavio: *Ubi magis a sacerdotibus quam inter aras & delubra conducuntur stupra, tractantur lenocinia, adulteria meditantur? frequentius in ædituorum cellulis, quam in ipsis lupanaribus flagrans libido defungitur*. Tertullianus Apolog. cap. 15. ait: *Ceterum si adjiciam, quæ non minus conscientiæ recognoscunt, in templis adulteria componi, inter aras lenocinia tractari, in ipsis plerumque ædituorum & sacerdotum tabernaculis, sub iisdem vittis, & apicibus, & purpuris thure fragrante libidinem expungi*. Tanta hanc in-

ter & idololatriam ſympathia eſt: nam *ex luxuria*, juxta Lactantium l. 2. c. 1. *ut vitia omnia, ſic impietas adverſus Deum naſcitur*. Vere Sapiens cap. 4. *Initium fornicationis eſt exquiſitio idolorum*. Par ſympathia fere hæreſin inter & luxuriam: ut enim S. Hieron. ait in cap. 3. Jerem. *Nulla hæreſis niſi propter gulam ventremque conſtruitur, ut ſeducat mulierculas oneratas peccatis*.

AMOS

CAP. II. V. 8.

Vinum damnatorum bibebant.

PEr damnatos videntur intelligi veri Dei cultores, qui nec in Bethel, nec in Dan, ſed in Jeruſalem ſoli vero Deo ſacrificatum ibant, præſertim mediocris, aut deterioris conditionis homines, quos calumniis affectos, & falſis teſtibus circumventos damnabant vel jactura bonorum, vel mortis ſupplicio. Ex bonis vero ſic corraſis ſympoſia faciebant, & ſuis in templis ſe recreabant, quaſi Deos ſuos his calumniis, rapinis, ebrietatibus honoraturi. Sic Servius docet in Æneid. 4. olim ex damnatorum bonis fuiſſe Diis ſacri-

crificatum, dum in illa Virgilii verba commentatur: *simul divum templis indicit honorem;* indici dicuntur, quia paupertas majorum ex collatione sacrificabat, aut certe de bonis damnatorum. Unde & supplicia dicuntur. Isidorus Hispal. l. 6. ex Festo ait: *supplicationes, quæ sunt de bonis passorum supplicia*. Hæc ratio est, *cur sacer homo, sacra bona, & sacrum* pro execrando sumptum sit: quia sacræ res de bonis execrandorum fiebant; & hinc vinum damnatorum est, quod ex mulcta & supplicio damnatorum comparabatur, ex quo Diis solebant sacrificare, & peracto sacrificio convivari.

LIB. I. MACHABÆOR.

CAP. I. V. 15.

Ædificaverunt Gymnasium in Jerosolymis secundum leges Nationum. Et l. 2. Machab. c. 4. de Jasone: *Ausus est sub ipsa arce Gymnasium ponere*.

ETymologia Gymnasii oritur a γυμνὸς nudus, vel a γυμνόω nudo, spolio. Locus enim erat, in quo se nudi homines exercebant. Thucydides L. I. ait de Lacedæmoniis: *Hi primum publice depositis vestibus, nudo corpore, oleoque uncti certa-*

mina ediderunt ; cum olim in Olympiös quoque certaminibus subligaculis succincti pugiles decertassent. Sed dein adeo placere cœpit inverecundia, ut Athletæ non aliter, quam nudi, & oleo uncti, pulvereque ac arena conspersi certaverint. Licet autem hic modus nudis pugnandi corporibus postea fuerit abolitus, retentum tamen est hoc nomen Gymnasii: cum alia etiam in eodem exercitia tractari solerent. Vitruvius formam Gymnasii describens l. 5. cap. 11. ait: *Constituuntur in tribus porticibus exhedra spatiosa, habentes sedes, in quibus Philosophi, Rhetores, reliquique, qui studiis delectantur, sedentes disputare possunt. Erant alia præterea loca, in quibus se cursu, hasta, disco, saltu &c. exercebant; alia, in quibus pugiles ad pugnam se præparabant, inungebant, certabant; alia, in quibus se balneabant.* Samuel Petitus de Legibus Atticis tit. 7. de Gymnasiis ait, duas in illis Ephebias fuisse; unam, quæ vanæ gloriæ stimulo agebatur in certis quibusdam exercitiis corporis; alteram, quam palæstram vocat puerorum, in qua festum Mercurii per comessationes, & infandas impuritates celebrabant.

Est Interpretum quorundam opinio, hoc Gymnasium ab Apostatis Judæis extructum fuisse etiam officinam nequitiarum

rum & turpitudinum, quale fuit, quod Jason constituisse legitur L. 2. Machab. cap. 4. qui ne solus fidem abjurare videretur, Judæos ad justitiam Gentium, idololatriam scilicet, conatus est perducere, 100. & 50. talenta promittens Regi Antiocho, ut Gymnasium & Ephebiam posset constituere: nam ut legitur L. Machabæor. 2. C. 4. *Statim ad Gentilem ritum contribules suos transferre cœpit*, v. 10. & prava instituta sancire: etenim ausus est sub ipsa arce Gymnasium ponere, & optimos quosque epheborum prostituere, ut lucrum inde non modicum reportaret. Fuisse autem inter Judæos subinde tam nefandos homines, qui innocenti puerorum ætate ad flagitia abuterentur, ex aliis Scripturæ locis satis constat. Additur L. 1. Machabæor. C. 1. *Secundum leges Nationum*. L. 2. Machab. cap. 4. *Ad Gentilem ritum*. Sed quam abominabiles hæ Leges fuerunt, quam ritus execrandi! Cæsar Buleng. l. de Circo Romano & ludis Circensibus ait cap. 55. tantam apud omnes fuisse lasciviam, ut ad omnia pene Gymnasia & spectacula essent popinæ & ganeæ, quæ ad fœdas carnis voluptates allicerent homines, & invitarent. Refert Faber Agonist. l. 1. Herculis, Mercurii, & Cupidinis statuis, quæ in Gymnasiis erectæ erant, honorem a Gentibus deferri soli-

tum.

tum. Salvianus de Provid. l. 6. *Colitur & honoratur Minerva in Gymnasiis, Venus in Theatris, Neptunus in Circis, Mars in Arenis, Mercurius in Palæstris. Hinc non est, quod quis miretur tantam regnasse impudicitiam in Gymnasiis, quorum Præsides ac Tutores ipsi libidinum vitiis erant celebres.* Ad hæc videre erat in Gymnasiis imagines turpitudinum illices, ut Lactantius testatur l. de falſ. relig. c. 20. *Magnum audaxque consilium suscepisse Græciam Cicero dicit, quod cupidinum & amorum simulacra in Gymnasiis consecrasset.* Ait autem Liber Machab. secundus C. 4. Judæos Apostatas Græcas glorias optimas censuisse, & per omnia his consimiles fieri desiderasse. Ex his consectaneum est, ipsos habuisse ad ritus Gentilitios, & profanam sapientiam tradendam exhedras; ad discum, luctam, saltum, & reliqua pugilum certamina palæstram; ad viros fœminasque lavandos balnea; ad pueros & adolescentes idololatriæ ceremoniis instituendos ephebiam; atque ad explendas hominum pessimas cupiditates popinas & ganeas, & optimos quosque epheborum sub velum ac petasum duxisse, seu, ut Scriptura expresse meminit, in lupanaribus posuisse.

In hanc execrandam innocentum corruptionem & Gentium morem pessimum jure invehitur Lactantius l. 1. de falſ. relig. c. 20. *Im-*

20. *Impudicorum hominum perdita & deplorata nequitia ! qui liberos suos, quos erudire ad honesta deberent, prostituerunt libidini juventutis, a quibus flagitiorum Deos-in illa ætate coli voluerunt, quæ simplex & improvida prius irretiri, & in laqueos potest cadere, quam cavere. Quid mirum, si ab hac Gente universa flagitia manarunt, apud quam vitia ipsa religiosa sunt, eaque non modo non vitantur, verum etiam coluntur?* Ceterum quem ad finem ab Ethnicis instituta sint Gymnasia; quæ victoribus destinatæ fuerint coronæ ex apio, oleastro, pinu &c. vide apud Lucianum tom. 2. de Gymnasiis in Dialogo Solonem inter & Anacharsim.

Fuerunt ex Interpretibus, ut S. Thom. Lyranus, Genebrardus, Mariana, Rupertus &c. qui censuerunt nomine Gymnasii, saltem illius, de quo meminit Liber 1. Machabæor. cap. 1. non venire infame gurgustium aliquod, sed locum aliquem publicum, in quo artes liberales aliæque scientiæ traderentur juxta ritum Gentilem, secundum quem varia in diversis locis erant Gymnasia, ut Romæ, Athenis, Antiochiæ, Alexandriæ, Heliopoli, Beriti &c. Quod autem a Jasone extructum est sub arce Gymnasium, ex Scriptura satis colligitur lupanaribus fuisse infamatum, in quo nulla profecto potuit vera addisci sa-

pien-

pientia: illa enim cum honestatis mater sit, & nutrix, hostis vero carnalium gaudiorum, prius cum bellua hominem conjunxeris, quam cum sapientia & honestate voluptatem. Cicero l. de Senect. bene ait: *Nihil a Deo aut natura homini præstabilius datum est mente; huic autem divino muneri ac dono nihil est tam inimicum quam voluptas*. Consentit Ciceroni Philo: *Non sunt in rebus duo tam contraria, quam voluptas carnalis, & scientia*. Hinc Perictionem matrem Platonis phantasmate Apollinis correptam ferunt, *& sapientiæ Principem non aliter arbitrantur nisi de partu Virginis editum*.

L. quod Deus sit immort.

S. Hier. l. 1. contra Jovinian. ex Clearcho in laud. Plat.

L. I. MACHABÆOR.

CAP. III. V. 48.

Expanderunt libros Legis, in quibus scrutabantur Gentes similitudinem simulacrorum suorum.

INferunt Interpretum aliqui ex hoc versu, subtiliores Gentiles voluisse ex ipsis Scripturis probare simulacra Deorum non male fieri; in quibus legere poterant imagines Cherubinorum intra Sancta Sanctorum fuisse positas, & Serpentis iconem in de-

deſerto a Moyſe exaltatam &c. Cenſent alii, Gentiles in ipſis ſacris Bibliis depinxiſſe ſimulacra Deorum ſuorum in contumeliam ſacræ Scripturæ: quemadmodum templa Judæorum profanare voluerunt erectis ſtatuis & aris; Templum Hieroſolymitanum dedicando Jovi Olympio, Garizitanum autem Jovi Hoſpitali.

Serarius, Oriolanus, Sanctius, Villalpaldus dicunt, ex hoc textu non improbabiliter erui, Gentiles idolorum ſuorum ſimulacra ex Scripturis deſumpſiſſe; uti jam olim modo ritus & ceremonias non paucas quoad ſacrificium ex Judæorum libris didicerunt & uſurparunt, multaque alia figmenta ex veriſſimis Scripturarum hiſtoriis deduxerunt.

D. Gregorius Nazianz. orat. 1. in Julianum ait: Ægyptiorum, & Phœnicum, & Græcorum eruditionem noſtram eſſe. Exemplum aliquod S. Hieronym. affert in illud Amos 5. *Et Juſtitiam in terra poſuit.* Ego puto, ex hoc loco etiam gentilem Poetam furatum eſſe, qui de ruſticorum ſimplicitate & beatitudine diſſerens intulit:

- - - - Extrema per illos
Juſtitia excedens terris veſtigia fecit.

Duo lumina Ethnicorum fuere, Plato, & Pythagoras. De primo ait S. Auguſtinus l. 2. de Doctr. Chriſtiana cap. 28. *Nonne memoratus Epiſcopus* (Ambroſius ſcilicet) *con-*

considerata historia Gentium, cum Platonem reperisset Hieremia Propheta temporibus profectum fuisse in Ægyptum, ubi tum ille Propheta erat, probabilius esse ostendit, quam Plato potius nostris literis per Hieremiam imbutus sit, ut illa posset dicere vel scribere, qua jure laudantur? Eundem Platonem libros Moysis involasse, uno ore arguunt Josephus, Justinus, Clemens, Theodoretus, & alii, adeo ut Numenius Pythagoræus Platonem nihil aliud esse dixerit, quam Mosen Atticissantem. De Pythagora refert Josephus l. 1. contra Appionem: *Pythagoras igitur Samius, cum sit antiquus quidem atate, sapientia vero & divina pietate Philosophos omnes excellens, non solum qua nostra sunt, agnovisse manifestus est, sed etiam amulatus ea, ex multis apparet.* De eodem ait Hermippus l. 1. *Dicitur enim vere, quod ille vir multas Judaorum Leges in suam transtulit Philosophiam.* In Homeri libris sexcenta deprehendi ex Moyse deprompta, ait Huetius in demonstrat. Euangelica, proposit. 4. c. 2. Anaxagoram de sacris fluentis Moysis Philosophiam suam temperasse, etiamsi taceret Theodoretus, satis declarant Diogenes Laertius, & Eusebius. Socratem quoque Mosaicarum sententiarum aura aliqua afflatum esse, sensisse videntur Aristobulus apud Eusebium, & Clemens Alexandrinus. In-

de

de factum est (quod Tertullianus notavit in Apolog.) ut veteres Philosophi Instrumentum Vetus inverterint, & in suas sententias adulterarint. *Quis Poetarum, quis Sophistarum, qui non omnino de Prophetarum fonte potaverit? inde Philosophi sitim ingenii sui rigarunt &c. Et si quid in sanctis Scripturis offenderunt digestis, pro instituto curiositatis ad propria opera verterunt.* Addit Justinus: *Quamvis fuerint in Ægypto versati, adjutique scriptis Mosaicis, postea contrarias prioribus, potioresque sententias de Diis introduxerunt.* Juvat ad particularia descendere. *in sermone exhortatorio ad Gentes.*

In Timæo Platonis ipsum quasi Moysen de primo mundi opificio loqui putares. Chaos Hesiodo memoratum ex Moysis verbis confictum esse agnoscunt omnes. Diem nocte satum, proindeque recentiorem finxit: Moyses quippe vespertinum tempus matutino anteposuit, & post tenebras creatam lucem dixit. Ex serpente, qui Evam decepit, deducta esse Bacchi Orgia, in quibus circumdati anguibus *Evan* conclamabant, docet Clemens Alexandrinus in adhort. ad Gentes. Sic hortos Alcinoi ex descriptione Paradisi; expulsum Saturnum a Jove, ex historia exacti e Paradiso Adami; Gigantomachiam, ex turri Babel extructa; incendium Phaethonteum, ex combusta cœlesti igne Pentapoli; fabulam A-

rio-

rionis, delphini beneficio rabiem maris elapsi, ex historia Jonæ; aliaque pene innumera ex Veteris Testamenti libris enata esse adseverant.

Sphingas effinxit Antiquitas virginis vultu, cetera leonis corpore, alis duntaxat tergo adjectis, & has in fabulis Græci, Ægyptii inter sacras notas habuere. Verisimile est, ob analogiam, exemplar earum a Cherubinis alarum projectione Tabernaculum obumbrantibus desumptum esse: uti enim Cherubim apud Judæos, ita Sphinges apud Ethnicos symbolum fuerunt arcanæ ac divinæ sapientiæ. *Quod sane ipsi declarant*, ait Plutarchus, *ante templa Sphinges plerumque collocantes, quo innuunt, suam doctrinam constare perplexa & sub involucris latente sapientia*. Hinc bene Villalpaldus ait: Sphingas Ægyptiorum simias fuisse Cherubinorum. Nisi quis forsan vellet dicere, quam audacter, tam absurde, Moysen, cum in omni sapientia Ægyptiaca eruditus fuisse legatur Act. c. 7. Cherubinos sacri Tabernaculi ad Sphingum Ægyptiacarum similitudinem efformasse; cum Scriptura nobis dicat: Moysen universa, quæ in Dei Tabernaculo fieri deberent, secundum exemplar, quod ei in monte Sina monstratum est, perfecisse. Accedit, quod Eusebius in Chronico ea nominatim, quæ de Sphinge, & Oedipo

nar-

narrantur, referat ad tempora Gedeonis, annis post Moysen amplius ducentis.

Origenes l. 9. contra Celsum docet, natam esse fabulam Vestæ ex Scriptura, quæ ignis perpetui meminit. Simili errore de nomine Jehovah factum esse Jovem; unum Noe materiam dedisse diluvii Deucalionis, Bacchi, Vinitoris, Jani bicipitis. Audiamus desuper Lucianum, qui in Dea Syria ait: Deucalion „ solus hominum relictus, „ in secundam videlicet generationem, pru- „ dentiæ simul & pietatis gratia. Servatus „ autem fuit hoc pacto. Arcam quandam „ magnam, quam ipse habebat, impositis „ in eam & liberis, & uxore sua, con- „ scendit. Ceterum cum ipse ingrederetur, „ venerunt eodem & apri, & equi, & leo- „ num genera, & serpentes, aliaque, quæ- „ cunque tellure pascuntur, bina ex uno- „ quoque genere cuncta.

Forsan ex eo, quod legerint Gentiles vel audierint Jacobum tulisse lapidem, erexisse in titulum, & oleum desuper fudisse, orta est lapidum latria. Sic enim Arnobius L. I. *Si quando conspexeram lubricatum lapidem, & ex olivi unguine odoratum, tanquam inesset vis præsens, adulabar, affabar.* Theophrastus refert, ejusdem hominis fuisse unctis lapidibus oleum e lecytho diffundere, dein in genua procumbere, & adorare. Quis dubitet Gentiles ex

iis, quæ de Angelis audierunt, suos finxisse Genios? Sic verisimile est ex historia Angeli de cælo lapsi natam esse fabulam, quod Ate Jovis quidem filia, sed cælo depulsa res humanas turbaverit, & everterit. De Sampsone factum & fictum esse Herculem, putat S. Augustinus l. 18. de civit. Dei c. 19. *Sampson, cum mirabiliter fortis esset, putatus est Hercules*. Templum Herculis Gaditanum Silius L. 3. ita describit, ut multa in eo religionis Judaicæ vestigia appareant. Templum illud non saxis, sed trabibus constabat ad modum Tabernaculi Mosaici: ab eodem sues arcebantur, linea veste induebantur, qui ad sacra accedebant, uxoribus abstinebant in ordine vicis suæ; ignis illic perpetuus.

Sed nulla effigies, simulacraque nota Deorum,
Majestate locum, & sacro implevere timore.

Sic credibile est manasse a Judæis ad Ammonios Ægyptiorum colonos ritus Lychni in templo semper ardentis. Vestimenta illius Pontificis, qui præfectus erat Ammonis templo, descripsit Athenagoras in Eroticis l. 5., vestimentis summi Judæorum Pontificis adeo similia, ut dubitationi vix locus relinqui possit, ad eorum exemplar fuisse elaborata. Lineas Sacerdotum Hebræorum tunicas imitati Linigeri Sacerdotes

tes Isidis. Serapidi Panificia obtulisse Ægyptios discimus ex Suetonio, ad exemplar scilicet Panum Propositionis. Moyses ait Levit. 2. *In oblatione tua offeres sal*. Plinius L. 3. *Nulla sacra conficiuntur sine mola salsa*. Vinum illos pariter & oleum victimis affudisse prodit Herodotus, uti Judæi in jugi & quotidiano agnorum duorum sacrificio &c. Josephus l. 2. contra Appionem ait: *Nulla omnino urbs est vel Græcorum vel Barbarorum, neque ulla gens, ad quam non penetraverit mos celebrandi septimum diem, quem feriati traducimus*. Sed causam male assignat Tacitus de origine Judaici Sabbathi l. 5., quod e septem sideribus, queis mortales reguntur, altissimo orbe & præcipua potentia stella Saturni feratur, ac pleraque cælestium vim suam & cursum septimos per numeros conficiant. Sic Gentes usæ sunt circumcisione; sed cum verum illius mysterium, principium, & finem ignorarent; ad falsa sua dogmata reduxerunt. Hinc Phœnices legimus circumcisionis institutum ad Saturnum retulisse. Neomenias Græcis sacras fuisse ex Porphyrio constat. Epiphonematis loco sit Lucilius Ruffinus, qui libellum olim scripsisse fertur hoc titulo: *Collatio Legum Judaicarum & Romanarum*. Ex his patet, quam vere Clemens Alexandrinus dixerit, Græcos seu Philosophos seu Poetas a Prophe-

tis præcipua dogmata suffuratos esse; sed nullo fructu. Imo Demetrius apud Josephum l. 12. Antiq. c. 2. circa finem refert, Theopompum, & Theodecten voluisse multa de sacris Scripturis ad usus profanos transferre, & propterea a cœlesti Numine punitos esse.

Facit ad rem nostram, quod S. Rupertus ait l. 6. in Genes. c. 15. in quo eleganti prorsus exemplo alludit ad Scripturam a Gentibus perlustratam. *Sara a Regibus expetita significat pulchritudinem divinæ Religionis* (*in Scriptura expressæ*) *quæ etiam captivis Judæis videbatur inter Gentium errores imitabilis*, *& æmulabantur eam*, *quamvis non caste*, *Gentes quæ erant in circuitu eorum*. *Unde scriptum est de libris Legis*: Scrutabantur Gentes similitudinem simulacrorum suorum, *videlicet*, *ut more divinæ Legis exhiberent simulacris suis ritum vel ordinem sacrificiorum*.

Hinc apparet 1. quam execrandum fuerit hoc scrutinium: serviebat enim impiis sacra Scriptura non ad deponendos, sed ad confirmandos errores suos. Quid rationi magis & Scripturæ contrarium, quam plures Deos esse? & tamen hos dari, probare ex Scriptura voluit Simon Magus, ut videre est apud Clement. Alex. l. 1. Recognit. ubi ait: *Quod multi sint Dii*, *ipsa me Lex docuit*: *quia nomine Eloim utitur*;

& hanc

& hanc doctrinam suam pluribus ex Scriptura testimoniis pergit stabilire. Quam absurda & ridicula antiqui hæretici, ut Ebion, Valentinus, Marcion &c. tradiderunt dogmata, eaque ex ipsis Bibliis conati sunt probare, more Novatorum, qui (ut Irenæi utar similitudine) Scripturæ verbis utuntur ut lapillis, ex quibus diversimode dispositis figuræ sibi contrariæ pro locantis arbitrio formari possunt. Ita ut impossibile sit, sine infallibili controversiarum Judice in unitatem Fidei convenire.

Notandum secundo est, laudabile ac justum esse Catholicorum scrutinium, quo ostendant hæreticis, ex libro Legis non esse vetitam omnem simulacrorum similitudinem, imo jussum esse a Deo Moysen, ut quædam faceret simulacra, v. g. Cherubim, & Serpentem æneum in deserto, cujus intuitu læsi Israelitæ sanarentur. De quo ita scribit Severianus Gabalorum Episcopus: *Cur hæc fecit Moyses? qui populo dixerat: Non facies tibi sculptile &c. Dic obsecro fidelissime Dei minister, quod aliis vetas, ipse id facis? quique conflatum vitulum comminuisti, serpentem ipse ex ære conficis? eumque non clam, sed palam & omnibus perspicuum statuis? At illa, inquit, mandavi, quo materiam impietatis exscinderem, atque ab omni defectione atque idolorum cultu populum abducerem;*

nunc autem serpentem utiliter conflo, ut veritatem ipsam præsignificem, & quemadmodum tabernaculum compegi, & quæ in eo sunt omnia, & Cherubim, similitudinem eorum, quæ non videntur, adhiberi in sancta, ut figuram atque umbram futurorum ostenderem: sic & serpentem ad populi salutem conflavi, ut ejusmodi experimento exercitatus Crucis imaginem, & Servatorem ac Redemptorem in ipsa pendentem præcognosceret. Ita ille. Et si placere Deo potuit Serpentis exaltatio, eo quod figura esset Christi in cruce exaltandi; quomodo Exaltati imago potest displicere?

Notandum est denique, bene a Christianis fieri, dum non solum Vetus Testamentum Judæorum, sed etiam Gentilium libros scrutantur; negari enim non potest, multa in iis præclara inveniri, & laudabilia quoad vitam bene instituendam, quoad ritus & ceremonias circa cultum Dei, modo fuerint ab omni superstitione purgata. Nec est inconveniens aut absurdum aliquid, Judæum, aut Catholicum ab Ethnicis mutuari aliqua, & in quibusdam assimilari; cum S. August. l. 20. de Civ. Dei c. 21. dicat; *Etsi usus quarundam rerum similis esse videtur nobiscum cum Gentibus, longe tamen aliter his utitur, qui ad alium finem earum usum refert, & aliter, qui ex his Deo gratias agit, de quo falsa non credit.* Dic potius,

Ethni-

Ethnicos, ut ante probatum est, a veris Dei cultoribus tales ritus ac ceremonias accepisse; proinde eadem ab Ethnicis velut injustis possessoribus per Catholicos in usum pium vindicanda sunt, ut loquitur S. Augustinus l. 2. de Doctr. Christiana c. 4. Fuerunt ritus non pauci, qui velut in alieno solo a veris Dei cultoribus judicio recuperatorio vindicari possunt; & si quidem corrupti fuerint, ab omni idololatriæ sorde purgati in usum pium ac laudabilem restitui. Communis erat usus aquæ lustralis apud Gentiles, modo etiam apud Catholicos: ritum enim, quem videntur Ethnici accepisse a Judæis, quibus lex data erat de Levitis Numer. c. 8. v. 7. *Purificabis eos juxta hunc ritum, aspergantur aqua lustrationis*, servandum sibi censuit Ecclesia; sed fine longe meliori nobilitatum. Solent Christiani Anathemata Sanctorum Reliquiis appendere. Dicet hæreticus, ritum esse Gentilium; cum Tibullus eleg. 3. l. 3. canat:

Nunc Dea, nunc succurre mihi; nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.

Et Virgilius in Catalectis:

Non ego thure modo, aut picta tua templa tabella
Ornabo, & puris serta feram manibus.

Præterquam quod natura dictet, non respuenda ejusmodi mnemosyna; poterat Gentilibus constare ex libris Moysis, reservata a Judæis fuisse, per quæ magna ipsis beneficia obvenerunt, ut Virgam Moysis, Urnam Manna refertam, Decalogi tabulas. Et si thuribula rebellium in laminas producta ab Aarone altari affixa sint ad terrorem, Numer. 16.; cur non in laudem Dei eorum beneficiorum indicia, quæ ab eodem per Sanctorum patrocinia contigerunt? Solent viri Nobiles & Generosi, dum bello renuntiant, arma sua Deo, alicui Ecclesiæ, aut Sancto, vel B. Virgini consecrare, quemadmodum S.P.N. Ignatium Manresæ constat fecisse. Carpet forsan alius morem illum Gentibus usitatum: nam de gladiatorum armis Herculis ad postem fixis satis meminerunt historiæ. Apud Ovid. Epistola 13.

Dii, precor, a nobis omen removete sinistrum,
Et sua det reduci vir meus arma Jovi.

Suetonius in Caligul. cap. 2. *Tres gladios in necem suam præparatos Marti ultori, addito elogio, consecravit*. Sed quis dicat, veri Dei cultores morem illum a Gentibus mutuatos esse, & non potius illos ab iis, v. g. Judæis? cum ex Scripturis palam fiat, gladium, quo Goliath occubuit,

invo-

involutum pallio post Ephod apud Sacerdotem Abimelech fuisse depositum. Idem dixeris de multis aliis ritibus sacris, vel profanis, quorum si plura desideres exempla, consule nostrum Martinum de Roa Hispanum. Sufficiat in præsenti notasse, quod falsum sit, Catholicos mores Gentium & ritus imitari, ut nobis objiciunt Hæretici; sed potius jure, ut dictum est, recuperatorio ritus secundum se indifferentes, a malitia tamen Gentium corruptos, a Catholicis omni prius superstitione depuratos ad veri unius Dei cultum, & Sanctorum ejus ordinari.

L. II. MACHABÆOR.

CAP. I. V. 13.

Cecidit in Templo Nanea consilio deceptus Sacerdotum.

ALiqui per Nanæam intelligunt Dianam; ut D. Thom. Lyranus, & Pererius. Illam enim in Perside cultam esse non pauci Scriptores perhibent. Verosimilius per illam Venus intelligitur: nam apud Athenæum Nanno & Nannium sunt meretricum nomina. Apud Armenos quoque & Persas legitur Dea fuisse Anaitis vel Nais; Tanai-

naitidem vocat Clemens Alexandr., & Venerem interpretatur. De sacris Anaitidi fieri solitis, quæ Sacæa vocantur, ita Strabo refert l. 12. *Ubicunque hujus Deæ Templum est, legibus statutum est, ut Bacchanalia Sacæorum festa celebrentur, viris omnino Scythice tum interdiu, tum noctu se tractantibus; dum inter se & cum mulieribus una bibentibus poculis certant, & lasciviunt.* Solebant etiam illi Deæ dedicari puellæ ut essent ad fani ejus servitium, ac dein nuberent, ut nuptias earum quasi sacras proci ambirent.

Apud Thucydidem L. 3. legitur de urbe quadam Cariæ, quæ Anæa nominatur, eo quod, ut ait Ephorus, ibidem sepulta sit una Amazonum Anæa nomine. Ait vero S. Hier. in c. 35. Jeremiæ: Amazonas mulieres libidinosas fuisse, quæ usque ad decrepitam ætatem bella libidinum experiantur: & hæc quæ modo dicta sunt, Veneri potius, quam Dianæ conveniunt. Ait enim Plutarchus, mulieribus in Dianæ Sacerdotium adlectis perpetuam fuisse indictam pudicitiam.

Verba, quæ præcedentem textum immediate subsequuntur, sunt hæc: *Etenim cum ea habitaturus venit ad locum Antiochus, & amici ejus, & ut acciperet pecunias multas dotis nomine.* Ex his verbis Commentatorum nonnulli inferunt, Antio-

chum

chum ea mente Nanææ Templum accessisse, ut cum Dea illa iniret matrimonium. Neque illud novum cuiquam aut mirum videatur; ea enim fuit infidelium libido aut superbia, ut humanis non contenti conjugiis divina appeterent. Sic legimus celebratum Poetis fuisse connubium Pelei cum Thetide. Item notum est matrimonium Anchisæ cum Venere; Heliogabali, qui Solis Sacerdos in Oriente erat, connubium cum Urania. Constat præterea, quid Antonio volenti se pro Baccho aut Dionysio haberi contigerit. Seneca l. 1. suasoriarum ait: *Desponderunt Athenienses Antonio in matrimonium Minervam, & rogaverunt, ut duceret, & Antonius ait, ducturum; sed dotis nomine imponere se illis mille talenta.* An & unde hæc soluta sint, perinde habet, forte ex reditibus Templi; cum Deorum & Dearum Templa subinde saltem dotata fuerint. Venus apud Ovidium l. 10. Metam. ait:

Est ager, indigenæ Damascum nomine dicunt,
Telluris Syriæ pars optima, quam mihi prisci
Servavere senes, templisque accedere dotem
Hanc jussere meis.

Cum igitur in præsenti capite dicatur Antiochum venisse, ut habitaret cum ea,

in

in græco textu est συνοικεῖν, quod cohabitationem subinde conjugalem significat, & *ut acciperet pecunias multas dotis nomine*, conjectura quædam est, Antiochum tentasse cum Nanæa Venere inire matrimonium, & pecunias dotis nomine a Sacerdotibus accipere. Quod si ita est, justam nefarii ausus sui mercedem recepit. *Cecidit in Templo Naneæ.*

Longe melius & fortunatius est connubium, quod homo castus inire quærit cum divina Sapientia: *Hanc amavi, & exquisivi a juventute mea*, ait Salomon, *& quæsivi sponsam mihi eam assumere*. Et ipsa pariter consortium castorum quærit, & contubernium: nam, teste Ruffino Presbytero in Prologo Librorum S. Greg. Nazianzeni, Sapientia in somno eidem S. Gregorio apparuit dicens, se a Domino missam, ut cum ipso habitaret, eo quod jucundum sibi & satis mundum in corde suo habitaculum haberet præparatum. &c.

L. II.

L. II. MACHABÆOR.

CAP. IV. & 19.

Misit Jason facinorosus argenti didrachmas trecentas in sacrificium Herculis.

SI gesta hominum præclara & heroica, rara artium inventa, publica, communiaque beneficia Apotheosin apud Gentiles sint promerita, illam præ cæteris aliis jure sibi Hercules vindicare potuit. Hinc de eodem ita canit Ovidius.

- - ubi mortales Tirynthius exuit artus,
Parte sui meliore viget, majorque videri
Capit, & augusta fieri gravitate verendus.
Quem Pater omnipotens inter cava nubila raptum
Quadrijugo curru radiantibus intulit astris.

Facinora ipsius amplissima, & gloriosa certamina a Poetis passim decantantur. An omnia illa ab uno tantum gesta sint, non constat. Varii enim ab antiquis Scriptoribus numerantur Hercules. Diodorus Siculus ait tres fuisse; Cicero sex; Varro quadraginta quatuor: ut non mirum sit, Her-

Herculem olim Tricosum fuisse dictum, ut ex veteri quadam inscriptione colligitur, quæ sic habet:

Alcmena, Jovis ac Magni fortissima proles,
Tricosus subito post mea fata vocor.

Existimat Varro, omnes fortitudinis, & excellentis alicujus virtutis gloria inclytos nominatos fuisse Hercules, qui tamen sua habuerunt subinde cognomina. Prisci Celtæ suum Herculem Ogmiona vocarunt, Cimbri Tuisconem, vel Bisconem, Ægyptii Chonem, Indi Dorsanem, Iberi Gaditanum, Batavi Marcusanum, Ligures Monæcum, Tiburtes Saxanum, Campani Baulium, & Surrentinum. Hi Hercules re aut nomine tantum diversi sua habuerunt templa, aras, statuas, & sacrificia, quæ ob sua in homines merita, ut dictum est, impetrarunt. Hinc a Germanis cultus est Hercules Authore Tacito; & in Augia majore Rheni insula visitur adhuc ipsius Idolum. Lælius Bisciola tom. 2. l. 2. c. 10. Apud Baulos grata posteritas Herculem coluit rotundo templo. Singulari religione Tiburtes Herculem ut tutelarem Deum suum prosecuti sunt, & fanum ei est positum hoc inscriptum titulo: *Herculi Saxano Serv. Sulpitius Trophimus.* Ideo autem Hercules Saxanus videtur dictus, quod fanum illud in saxo ædificatum fue-

fuerit. Sic olim Mediolani dictum est templum Herculis in petra, quod Maximianus Diocletiani in Imperio collega ibidem extruxit in patria (ut quidam tradunt) sua sumptuosissime, cum Thermis ejusdem nominis Herculeis. Extant adhuc sexdecim striatæ columnæ peraltæ, operis magnificentissimi vestigium, porticus olim seu propylæi Thermarum, aut dicti templi reliquiæ. Sub diversis titulis diversa templa extructa fuerunt Herculi, v. g. Herculi Defensori, Herculi Magno, Herculi Victori, Herculi Musarum.

Ara olim apud Romanos erat Herculis, dicta Maxima, prope forum boarium, nulli inferior; quod ad civium venerationem attinet: nam & jusjurandum apud eam, ac conventa, quæ volebant esse firmiora, peragebant. Inde proverbium: *mehercule*, idem quod certe. Decimas quoque facultatum ex voto illuc non raro offerebant. Mirabile est, quod a Cornelio Tacito de Hercule refertur l. 12. *Gortazes apud montem, cui nomen Sambulos, vota Diis loci suscipiebant, præcipua religione Herculis, qui tempore statuto per quietem monet Sacerdotes, ut juxta templum equos venatui paratos sistant. Equi, ubi pharetras sagittis plenas accepere, per saltus vagi nocte, demum vacuis pharetris multo cum anhelitu redeunt; rursus Deus, quas sylvas pererra-*

ve-

verint, nocturno visu demonstrat, reperiunturque fusa passim feræ. Hucusque Tacitus. Sic miseris dæmon illudit, ut dum feras abigit & fugat, ne noceant, semetipsum in Idolo Herculis venerentur.

Creditus etiam fuit Hercules luporum averruncus, & custos ovium. Hinc agnus eidem in victimam fuit immolatus; ut testatur Antipater his carminibus ex Græco versis:

Mercurius - - - - munere lactis
Lætatur, mox & dulcia mella capit.
Sed non Alcides, aries vel poscitur agnus
Omnino pinguis victima grata Deo est.
Jure: lupos arcet; sed quid magis utile, si grex
Custodis cecidit cæde, vel ungue lupi?

Erat interdictum fæminis jure sacrificiorum; dein, ne per Herculem jurarent, vel templum ejus ingrederentur, aut sacrificiis interessent; quia sitienti Herculi, cum boves Geryonis per Italiam duceret, & potum poscenti respondit mulier, se religionis suæ causa aquam dare non posse. Sed ad textum redeamus. *In sacrificium Herculis.* Aperte simul indicatur, ubi peractum illud fuerit, Tyri scilicet. Hæc urbs maritima, cum potenter suum in Oceano imperium exercuerit, & extenderit, & ideo Maris Domina appellata, speciali cultu ve-

venerata est Herculem, ut inventorem artis nauticæ, & propagatorem celeberrimum. Notitia Sphæræ cæleſtis omnino nautis est neceſſaria; hanc Maurus Atlas, & Hercules feruntur primum homines docuiſſe. Aſtrolabia, & ſi quæ alia Matheſeos inſtrumenta navigantibus quam utilia? uſum hujus nobis ab Atlante, & Hercule traditum eſſe in confeſſo eſt. Juvabit deſuper Diodorum audire; cujus hæc verba ſunt. *Atlas Herculem Aſtrologiæ quoque ſcientiam docuit: ſingularem enim vir ille Aſtrologorum diſciplinæ curam & operam impenderat, & quia Sphæram ſiderum artificioſe elaboratam habebat, totum humeris ſuis mundum geſtare credebatur.* Eodem modo Hercules quoque, cum doctrinam ſphæricam ad Græcos tranſtuliſſet, præclaram obtinuit exiſtimationem; ut qui mundi onus ab Atlante excepiſſet, cum obſcure, quid tum accidiſſet, ſignificaretur. Quod Hercules paſſim nudus conſpiciatur, mos est Nautis haud peregrinus; quin ipſa navis pro veſtimento illis eſt. Quid? quod per Leoninam pellem, qua ſubinde amictus cernitur, navis poſſit intelligi. Vide Joannem Fridericum Huart part. 5. cap. 7. Nihil novi Poetis eſt, pictos Deos, aut beſtias pro navibus ſumere. In proris navium longarum Herculis Tyrii, atque Gaditani binos comparuiſſe leones, Ma-

crobius testatur Saturnal. l. 20. proris Gaditanæ classis superstantes. Idem paulo ante memoratus Huart docet, per sagittam Herculis revera acum nauticam ad magnetem attritam, intellectam fuisse. Figuræ similitudo non abludit. Notus præterea Herculis Scyphus aut poculum, quo dicitur e Gadibus in Erythiam solvisse. Sed quis ille Scyphus? Macrobius l. 5. Saturn. c. 21. ait: *Poculo Herculem vectum ad Hispaniæ Insulam navigasse, & Panyasis, & Pherecydes auctor est. Ego tamen arbitror non poculo Herculem maria transvectum, sed navigio, cui Scypho nomen fuerit.* Ambigi vix potest, quin opera tam præclara circa navigationem ab Hercule tum facta, tum inventa Tyriis artis nauticæ peritissimis occasionem dederint singulari eundem cultu prosequendi. Accedit, quod putarint Ethnici in Herculis tutela esse terram firmam; hinc colebatur in terrarum finibus prope portus, navalia, fluminumque præcipitia. Confirmat idem Statius Poeta Surrentinum prædium sui Pollii describens, quod ad portum in litore ibidem erat juxta Neptuni & Herculis sacras ædes: sic enim canit Sylv. l. 11.

Ante domum tumida moderator cæruleus unda
Excubat, innocui custos laris, hujus amico

Spu-

Spumant templa salo: felicia rura tuetur
Alcides, gaudet gemino sub Numine portus:
Hic servat terras; hic sævis fluctibus obstat.

Sola hæc causa Herculis colendi sufficiens erat Tyriis; sed quid facinorosum movit Jasonem, ut eum coleret, & tantam pecuniæ vim pro ejus sacrificio mitteret? Diodorus Siculus de decimis Herculi offerri solitis ait: *Dixisse Herculem, eos, qui sibi, postquam ad Deos translatus esset, decimam bonorum dicarent, vitam felicem victuros, & addit evenisse hoc usque ad sua tempora: multos enim Romanorum non solum mediocri censu, sed & qui ditissimi sunt habiti, decimas Herculi vovisse; posteaque fortunatiores factos bona sua ad quatuor talentorum millia Herculi sacrasse.*

Sed cur nominatim Herculi tanta nummorum summa Tyrum mittitur eo tempore, quo ludi Olympici in honorem Jovis fieri soliti celebrabantur? Serarius ait, Athletas de imitatione Herculis gloriatos, ut Galenus, & Adrianus referunt apud Lipsium, & ideo in Gymnasiis statuæ & ædiculæ Herculis poni solebant, ut ex Pausania, Dione, & Athenæo licet colligere.

Sub Herculis fabula, uti sub aliis, veritas quædam naturalis latuit: nam Ægy-

ptiorum, Samothracum, aliorumque populorum vetusta religio fuit, ut crederetur Hercules Solis vis, potestas, & varia virtus in inferiora mundi corpora. Est enim ex etymo nominis Hercules idem; quod aeris & terræ gloria, quæ oritur ex illuminatione Solis, qui annuo circuitu per Zodiaci signa duodecim, totidem, ut de Hercule fingitur, obire certamina videtur, atque caloris sui radiis vitalibus generationem & vitam corporibus infundere. Corruptiones ac pestes dispellere putabatur. Hinc sicut alia mundi elementa sub certis Deorum nominibus, ita vim Solis mira in sublunaribus operantem sub nomine Herculis videntur quidam saltem Gentilium adorasse. Verba Porphyrii apud Eusebium sunt: *Duodecim laboriosa certamina effinxerunt, quasi symbolum assignantes duodecim cælestium signorum*. Et l. 3. de præparat. Euang. *eo quod mala ab inferioribus hisce Sol procul expellat, Herculem ipsum dixerunt*.

Forsan hæc de Hercule fabula, uti & multæ aliæ, ex Scripturis, v. g. Sampsonis historia mutilatim & obscure percepta, & perperam intellecta suam traxit originem, ob multiplicem inter utrumque analogiam: ut enim in cunis modo fortis fuit Hercules; ita videtur cum ipsis crinibus Sampsonis robur crevisse, quod satis post-

postmodum exercuit, dum portas urbis Gazæ asportavit; sic fores & postes Erebi Hercules diffregit. Victo Geryone, per Latium pergens Hercules sitim passus est; etiam Sampson victis mille Philistæis. Leonem uterque prostravit, a Lena vicissim uterque prostratus. Duas columnas in mari Gaditano Alcides posuit inscribens: *non plus ultra*; duas columnas amplexus Sampson non plus ultra vixit.

In sensu morali Hercules est homo Christianus sub jugum rationis mittens vitiorum monstra, & bestiales appetitus. Alciatus pulchre ostendit, quomodo duodecim labores Herculis viro forti & sapienti conveniant; quem vide Emblemate 137.

MACHABÆOR. L. II.

CAP. VI. V. 7.

Cum Liberi sacra celebrarentur, cogebantur hedera Libero circuire.

Liberi sacra aliis nominibus vocantur Dionysia, Orgia, Bacchanalia, Liberalia, nocturno tempore a Gentibus peragi solita. Sic major erat turpissimarum libidinum, amorum, stuprorum, cædium, aliorumque facinorum occasio. Unde ipsi

Ethnici ea sæpe detestati sunt ac sustulerunt, teste Tertulliano, qui in Apologet. c. 7. ait: *Liberum Patrem cum mysteriis suis Consules Senatus authoritate non modo Urbe, sed universæ Italia eliminaverunt.* Idem Afer L. de Spectacul. ait: *duo ista dæmonia Venus, & Liber conjuncta & conspirata inter se sunt ebrietatis, & libidinis. Itaque theatrum Veneris, Liberi quoque domus est.* Sed cur Bacchus Liber est nominatus? Varii varias causas adducunt. Sunt, qui eum Liberum appellatum esse volunt, ob licentiam linguæ; uti Nævius: *libera lingua loquemur ludis Liberalibus.* Alii, quod animum curis liberet, pellatque tristitiam. Sic Seneca ait: *Liber non ob licentiam lingua dictus est inventor vini; sed quia liberat servitio curarum animum, asserit, vegetatque, & audaciorem in omnes conatus facit.* Nonnulli Liberum dixerunt, quod in liberis civitatibus coleretur, earumque Symbolum esset; unde & Marsyas ejus minister in civitatibus libertatis fuit indicium. In Bœotia Bacchus omnes civitates liberas esse jussit, & a se conditas Eleutheras appellavit. Plutarchus vel a libertate, quod bibentibus libertatis causa sit, & honesto Baccho licentiores fiant; vel quod Libationem invenerit. Liba, & mella eidem mense Martio offerri solita ex Tibull. 1. licet colligere. Goropius in In-

Indoscythicis novam prorsus Liberi Patris originem videtur excogitasse. Noe (hunc enim Liberum fuisse asserit) quia omnium populorum pater est, vocatus est a Janigenis suis Liber, id est populos in lucem producens.

Porro quam nefanda & detestanda fuerint hæc Liberi Patris Sacra, horret calamus scribere. Moris erat Autumni tempore Sacra illa solennius observare, ut ex versibus constat nescio cujus Poetæ:

Tertia succedit Bacchi venerabilis atas,
Sentit adesse novos rustica turba Deos;
Imprimis hilari juvenantem fronte Lyæum,
Est juvenis: juvenes nam facit ille senes.

Victima Libero Patri offerri solita caper erat, aut hircus. Hinc l. 3. od. 8. ait Horatius: *Voveram dulces epulas, & album Libero caprum.* Cur dulces epulas? supra dixi, mel Baccho offerri solitum. Cur album caprum? quia Superis Diis alba victima immolabatur, ut nigra inferis. Cur caprum? quod vites rodat:

Non aliam ob causam Baccho caper omnibus aris
Caditur - - - Virgil. L. 1. Georg.

Idem confirmat Ovid. l. 1. Fastor.

Rode caper vitem, tamen hinc, cum stabis ad aras,
In tua quod spargi cornua possit, erit.

Vult dicere, tantum adhuc vini supere-

rit, quod pro more, quando Baccho in pœnam immolaberis, tua inter cornua pro libamine effundi possit. Ritus ac mores in sacris Liberi describit ex parte Arnobius l. 5. adv. Gentes. *Bacchanalia etiam prætermittamus inania, quibus nomen Omophagiis Græcum est, in quibus furore mentito, & sequestrata posteris sævitate circumplicatis vos anguibus, atque ut vos plenos Dei numine ac majestate doceatis, caprorum reclamantium viscera cruentis oribus dissipatis.* Moris præterea fuit, ut hedera coronati Liberum circumirent. Isidorus Hispal. l. orig. 19. c. 30. ait: *Nomen coronæ hac ex causa vocatum esse, quod initio circa aras curreretur, atque ad imaginem circuitus vel chori est formata vel nominata corona.* Et sic videtur mos ille gestandi coronas a sacrificiis ad convivia delatus esse: ut non solum vina & crateres coronarent; sed etiam seipsos. Cicero l. 2. de Legibus ait: *Sequebantur epulæ, quas inirent propinqui coronati rosis, atque hedera.* Quod autem in sacris Liberi corona usi fuerint, illa videtur fuisse causa, quod inventorem coronæ Bacchum fecerint: quia cum præ ebrietate vacillaret caput, ipsum mitra seu fascia astringere est solitus. Hinc factum est, ut quod primo necessitatis causa assumptum fuerat, in ornamen postea transierit, & usum sacrum, ut Ovidius testatur l. 5. Fastorum:

Illa

Illa dies hæc eſt, qua te celebrare Poetæ,
Si modo non fallant tempora, Bacche, ſolent:
Feſtaque odoratis innectunt tempora ſertis,
Et dicunt laudes ad tua vina tuas.

Serta autem illa in Bacchi honorem geſta fuiſſe ex hedera conſtructa, ex Scripturis patet, & aliis Authoribus. Aurelius Nemeſianus ita Bacchum alloquitur Eclog. 3.

Te cano, qui gravibus hederata fronte corymbis
Vitea ſerta plicas, qui comptas palmite tigres
Ducis odoratis perfuſus colla capillis,
Vera Jovis proles.

Ovid. l. 6. Faſtor.

Bacche, racemiferos hedera redimite capillos.

Hinc mirum non eſt, Poetas, qui enthuſiaſmos ſuos Baccho acceptos referunt, amaſſe hederam, & eadem ornari petiiſſe. Sic Tibullus:

Candide Liber ades, ſic ſit tibi myſtica vitis,
Sic hedera ſemper tempora vincta feras.

Ovidius l. 1. Triſt. Eleg. 6.

Deme meis hederas, Bacchica ſerta, comis.

Idem l. 3. Faſtorum cauſam hederæ Baccho gratæ recenſet:

Cur

Cur hedera hæc cincta est? hedera est gratissima Baccho:
Hoc quoque cur ita sit, dicere nulla mora est.
Nisiades Nymphas, puerum quærente Noverca,
Hanc frondem cunis apposuisse ferunt.

Festus ait: *Hedera in tutela Liberi Patris putatur esse: quia ut ille semper est juvenis, ita hæc semper viret*. Aliam caussam affert Plinius l. 16. c. 5. *Ferunt primum omnium Liberum Patrem imposuisse capiti suo ex hedera coronam; postea Deorum honori sacrificantes sumpsere, victimis simul coronatis*. Usus autem est Liber corona ex hedera, ut qui potionem invenerat, & illa mala depelleret, quæ ex potione caussantur, & qui inventor fuerat artis, & vini, author idem & remedia præscriberet, ut Plutarchus notavit dec. 3. sympos. problemat. 1.

Sed cujus mali remedium esset hedera? Illius scilicet, quod ex nimio calentis vini usu solet provenire: hedera enim æstum temperat, & naturam refrigerat. Effectum hunc hederæ impugnat & refellit Ammonius apud Plutarch. problem. 2. docens, naturam hederæ esse calidam; 1. quod absque vino ebrietatem inducat. 2. Quod rami ejus crispentur, & hanc crispationem caloris signum esse ait. 3. Quod nix in

fron-

frondibus hederæ liquefiat & defluat. 4. Quod semper sit viridis; hic autem viror ex caloris & pinguedinis copia nascatur. Ex his infert, Bacchum fuisse usum hedera, non quod existimarit illi vim inesse ad vim vini retundendam; sed quod eam usurparit vitis sibi amicæ loco, quæ toto anno non virescit: hedera enim nonnullam vitis præsefert similitudinem; sicut vinum qui amant, cum eo carent, fictitio utuntur. Sed conjecturas Ammonii erudite dissolvit Eraton. Primo enim videtur manifeste contraria esse experientia. 2. Non causat ebrietatem hedera, si sola, vel potu mixta sumatur, sed perturbationem, & quasi delirium, ut aliæ quædam herbæ. 3. Crispatio ex imbecillitate oritur; hinc adminicula quærit. 4. Nix liquescit ob humorem e foliis hederæ provenientem. 5. Viror perpetuus communis est etiam Myrto, & Adianto ex natura frigidis. Potius ex æquabili temperamento, & meatuum symmetria secundum Empedoclem oritur. Adstipulantur Eratoni Dioscorus, & Plinius: hic enim clarissime l. 14. c. 10. dicit. *Hedera mentem turbat, caput purgat largius pota, nervis intus nocet, iisdem nervis adhibita foris prodest; omnia genera ejus refrigerant, capitis dolorem sedant*. Sed perinde forsan erit, frigida sit hedera, an calida; sive vini acrimoniam frigore suo re-

retundat, sive poros & meatus ad vini vapores exhalandos suo calore aperiat; cum utroque modo ad malum, quod e vino subinde oritur, pellendum juvet, & hoc titulo Libero Patri placeat, ut tam Evergetis, quam Alexicaci nomen habeat.

Sequitur in textu; *Cogebantur hedera coronati circuire Libero*. Usitatus fuit apud Gentiles in sacrificiis circuitus. Hinc Prudentius in hymno de S. Romano ait: *Furere ac rotare jus putatur mysticum*. Symbolum Pythagoræ fuit, Deum adorandum circuitu corporis. Plutarchus tamen hoc symbolum non Pythagoræ; sed Numæ Regi adscribendum esse dicit, qui & multa in Numa cognitione digna de vertigine in sacris refert. Leges Numæ sic habent: *Libes Diis ex vite non putata; ne sacrifices sine farre; circumagas te, dum Deos adoras, sedeas, cum adoraveris*. In Cypro coli solitum legimus Jovem Ilapinasten; ἴλας latine ordo, vel acies &c. quo nomine ordines intelligunt ac vertigines, quos juniores ederent in Choris. Virgil. l. 4. Æneid.

Instaurantque choros, mixtique altaria circum
Cretesque, Dryopesque fremunt, pictique Agathyrsi.

Confirmat hæc Plinius l. 28. natur. histor. c. 2. *In adorando dextram ad osculum referi-*

ferimus, totumque corpus circumagimus, S. Ambrosius serm. 10. de eo, quod scriptum est: *Quis major est in regno cælorum?* ait: *Quoniam molam asinariam saxum esse constat, videamus, si etiam Paganorum talis est mola. Talis plane est. Saxi enim mola est Paganorum Jupiter, Herculesque lapideus, circa quos cæcis oculis frequenti errore circumeunt.*

Sed quas causas hujusmodi circuitus Gentiles habuere? opinantur aliqui vertiginem hanc a Pythagora ideo institutam, vel quod sacrificantes cælum quodammodo imitarentur; illud enim continua vertigine agitatur: vel quod ea cæli circulatione terrena averti viderentur. Putat Revelin, Gentiles hoc symbolo prudentiam circa divinas preces indicare voluisse & circumspectionem; ne in nos jure retorqueri posset: *Nescitis quid petatis*. Vide Lil. Gyrald. in dicta Pythag. Plutarchus in vita Numæ ait, conversionem adorantium simulacrum mundi esse. Idem Author inquit, per circuitum illum denotari, nihil esse in rebus humanis stabile. Ejusdem inconstantiæ symbolum erat rota, quæ in Deorum templis verti solebat, ut Clemens Alexand. refert l. 5. Strom.

Observandum hic est, non perinde fuisse Gentilibus, quam partem versus circuitus ille inciperet, ut Possidonius Stoicus

no-

notavit apud Athenæum l. 4. Gymnosoph. de Celtis: Deos adorant ad dextram conversi. De Romanis idem testatur Plutarchus in Camillo scribens: *Simul atque ita factum est, ut in more est Romanis, a precibus & veneratione Deorum sese convertere dextrorsum*. Rhodiginus observavit l. 1. Antiq. Lect. c. 1. *In Græcorum monumentis adnotatum est nobis, morem sacrificandi servatum diu, ut circumcurrerent aras, cursum auspicati a lævo dextrorsum, Zodiaci quadam imagine, cujus motio sit mundo diversa ad exortum vergens; mox vero a dextris lævorsum procurrerent, quo motu cœlum rotari, manifestum*. Hoc est, quod apud Senecam legisse me memini, Sapientem quoad cursum vitæ, motum siderum observare, & contrarium mundo iter intendere.

In sensu morali noverit quivis Fidelis Christianus, utilem & necessarium sibi esse varium in rebus sacris circuitum. 1. Ut fidem suam operibus confirmet: nam in il-
Psal. 25. lud Psalmographi, *Circuibo Altare tuum Domine*, ita ait B. Bruno Herbipolens. Episcopus: *Altare significat fidem, quam circumdare est bonis operibus ornare*. 2. Offerat se Deo paratum ad omnia, exemplo
L.3.c.15. Thomæ Kempensis: *In manu tua sum ego, gyra & reversa me per circuitum, en servus tuus sum ego &c.* 3. Ad bona aliorum ex-

exempla attendat. *Circuire enim debet vir justus bona aliorum, ut gaudeat; mala aliorum, ut fleat.* 4. Ex omni parte sit circumspectus, more animalium ab Ezechiele visorum, de quibus S. Gregorius: *Corpora animalium idcirco plena oculis describuntur, quia Sanctorum actio ab omni parte circumspecta est, bona desiderabiliter providens, mala solerter cavens, quæ inferre nobis conatur diabolus adversarius noster, qui tanquam Leo rugiens circuit, quærens, quem devoret.*

Hugo Carens. in Psal. 26.

In Ezech.

LIB. MACHABÆOR. II.

CAP. IV. V. 33.

Ipse (Onias) *in loco tuto se continens Antiochiæ secus Daphnem.*

DE loco Daphnes egissem modo Numer. cap. 34. ubi dicitur, *in Rebla contra fontem Daphnim;* si certum esset, eundem esse locum cum loco celeberrimo Daphnes Antiochenæ. Intelligit quidem S. Hieron. per Reblam Antiochiam, sed Bonfrerio nostro non placet S. Hieronymi explicatio: ait enim, Josephum l. 4. belli Jud. cap. 1. meminisse alterius Daphnes ad Semechonitem lacum, quem medius præterfluit Jorda-

danis. Lacus ille vocatur in Scripturis *aqua Merom*, quem locum amœnum esse, ut est locus Daphnes Antiochiæ, testatur Adricomius, qui per Daphnem Numer. 34. putat intelligi debere locum a Josepho assignatum. Sed hac controversia prætermissa, de Daphne Civitatis Antiochenæ suburbio pauca quædam hic opportune veniunt annotanda.

Daphne est amœnum & ambitiosum Antiochiæ suburbium, ut Ammonius loquitur. Quod in Italia Bajæ, ad Alexandriam Canopus, id videtur fuisse in Syria deliciosus Daphnes locus, de quo hæc Strabo habet l. 16. postquam de Antiochia egisset. *Ulterius est Daphne ad stadia* 40. *mediocris rivus, & lucus ingens, & opacus, fontanis aquis irriguus, in cujus medio est fanum Apollinis & Dianæ, & asylum.*

Fabula de Daphne ab Ovid. l. 1. Metam. descripta hæc est: Fingitur illa fuisse filia Penei fluvii, quam venusta, tam pudica. Vix illam Phœbus conspexit, illico in amorem ejus adeo exarsit, ut nulli parserit labori, quo posset suo satisfacere desiderio. Sed Daphne

Nec quid hymen, quid amor, quid sint
connubia, curans,

expers thalami vivere & mori statuebat. Sed cum Phœbus a suo non desisteret proposito, magisque illud urgeret, præsidium

ca-

castitatis in pedibus quæsivit Daphne, & cum insequentem procum non posset effugere, oculos in undas Penei parentis conjiciens, in Laurum mutari petiit, & obtinuit.

Hujus Daphniticæ fictionis ansam aliquam Leucippus videtur tribuisse: ille enim Ænomæi Pisæ Regis filius Daphnem virginem deperiit; sed cum finem suum non posset obtinere, ut Pausanias refert l. 8. in Ariad. religata more virginum coma, & muliebriter indutus cum ea conversari cœpit & amari. Daphne a corrivali admonita est, ut ad natandum secum, & cum suis virginibus in Ladone fluvio etiam recusantem Leucippum pertraheret, quod & factum est; sed marem agnitum sociæ Daphnes sagittis & pugiunculis confecere. Finis historiæ non congruit fabulæ; nec mirum sit, cum illa tantum sit rude quoddam & fugiens historiæ vestigium.

Melius forsan dixeris, virtutem, sympathiam, & energiam rerum naturalium sub Daphnes, & Apollinis nomine cultam esse. Daphne enim idem est, quod laurus: hæc filia dicitur fluvii Penei: quia ad illius oras frequenter nascitur, ab eodem alitur & conservatur. Apollo Daphnem amat, & Sol Laurum: cum enim hæc igneæ sit naturæ, uti Sol, sympathiam inter se habent amoris conciliatricem. Per

incalescens Apollinis desiderium, & Daphnes repudium intelligi potest calor & æstus Solis, quo inflammare Laurum cupit, ut vigorem & virorem amittat; Laurus vero non cedit, & nihil horum amittit: quod autem Daphne in undas Penei parentis oculos conjiciat, & juvari postulet, est, quod Laurus ab humore fluvii confortetur, ne languescat & deficiat. Mutatio autem in Laurum potest triumphum Daphnes de calore & æstu Solis significare.

Optime dixeris, Diabolum hunc Daphnes locum seu lauretum jucundissimum, & cum fontibus esset irriguum, lavandis corporibus idoneum, & cum umbrosum valde fuerit, tegendis impudicitiis aptissimum selegisse, ut sub Apollinis, & Dianæ simulacris tanquam Deus a gentili populo coleretur. Promovit hunc sui cultum per Phœbadum vaticinia. Hæc qua arte ac dolo primum in orbem introduxerit, refert Diodorus Siculus de Oraculo Pythico. Certum est, Apollinem Daphniticum ab Oraculis fuisse famosissimum; & hinc tantopere increvit loci illius religio, & summa tam apud populum, quam Reges ac Cæsares æstimatio. Templum ibidem Apollinis erat, quo vix ullum magnificentius, aut donariis locupletius. Statuæ in eo plurimæ, ex auro solido & argento, magni ponderis & artificii, a Regibus &

Principibus erant repositæ, cum aliis donariis pretiosissimis, quæ ab omnis status hominibus religionis causa in Sacrariis erant recondita. Pausanias refert, sceleton aheneum artificii admirandi appensum tholo templi fuisse ab Hippocrate. Dirutum quinquies fuisse tradunt historiæ, & direptum sæpius. Nero Imperator ex templo quingentas aheneas statuas abstulisse fertur, mactasse homines Deo, & mortuorum corpora in hiatum projecisse. Tandem sub Juliano Imperatore fulmine tactum, & funditus eversum, in cujus ruinis & incendio periit excellenti opere facta statua Apollinis deaurata. Hæc ab Authore in actis Artemii Martyris ita describitur: *Ei ex vite* (lapide verisimilius secundum Libanium) *erat corpus compositum, admirabili quadam arte ita comparatum, ut præseferret speciem adolescentis, auro autem illius totus, quo induebatur, amictus, nudatus, & non auratis cæteris partibus corporis, ostendebat quandam, quæ dici non potest, pulchritudinem: Stanti vero erat in manibus cithara, & eam videbatur pulsare; coma autem & Lauri corona auro florebant permixto, ut magna effulgeret gratia spectatoribus, duoque magni hyacinthi implebant ei figuram oculorum in memoriam Hyacinthi pueri Amyclai; & gemmarum pulchritudo & magnitudo imagini maximum affe-*

rebat ornatum, adeo ut quamplurimis in eo decipi contingeret, ut qui propter apparentis formæ pulchritudinem inescarentur ad eum adorandum, quod quidem ipsi Juliano evenerat. Majorem certe ei cultum exhibebat, quam aliis omnibus imaginibus, ex singulis generibus ei sacrificans, & ab eo expectans responsa. Hæc Author ille.

Confirmat eadem Zonaras: *Julianus frequentabat Daphnem, in qua simulacrum Apollinis mirificæ artis dedicatum erat, crebro ibi sacrificabat, ut Antiocheni sacrificulum ad se venisse dicerent, non Imperatorem.* Idem Daphnæ Apollini integras hecatombas oraculi impetrandi ergo immolavit.

Laurus sacra fuit Apollini, vel ideo specialiter, quod dandis serviret oraculis. Alii alias assignant causas, v. g. quod non sit obnoxia fulmineis ictibus. Hinc refert Plinius, quod Tiberius Cæsar cælo tonante solitus sit Lauro coronari. Diodorus Siculus hanc allegat rationem, quod Apollo hanc plantam primo invenerit. Phornutus, quod Laurus facile incendatur, & ad purgationem sit imprimis idonea; proinde arbor hæc jure Deo mundissimo ac flagrantissimo sit dedicata. Quartæ huic assentitur Eusebius, sed primæ Lactantius Grammaticus, propter vim scilicet divinandi. De Lauru Tibullus l. 2. eleg. 6. ita canit:

Tu

Tu procul eventura vides, tibi candidus augur
Scit bene, quid fati provida cantet avis.
Tuque regis sortes, per te praesentit Haruspex,
Lubrica signavit cum Deus exta notis.

Hinc & Aphtonius Laurum ait esse divinationis symbolum, & Fulgentius ex relatione eorum, qui de somniorum interpretatione scripserunt, Laurum sub dormientium capita appositam vera somnia causaturam. Utuntur praeterea in praedictionibus suis Lauru Augures: nam,

Si tacet extincto Laurus adusta foco,

Ut Propertius ait l. 2. eleg. 29. inauspicatum fore rei exitum ominantur; bonum vero ac felicem, si sonitum edat: quod ex Tibullo confirmatur, qui sic ait lib. 2.

Ut succensa sacris crepitet bene Laurea flammis,
Omine quo felix, & sacer annus eat.
At Laurus bona signa dedit, gaudete coloni,
Distendet spicis horrea plena Ceres.

Hinc volunt aliqui, graecum nomen Daphne derivari a particula δα, quae intensionem vel augmentum notat, & a verbo φωνεῖν, vel φωνη, id est, vox, quod Laurus in igne vocalis sit a crepitando, ut Lucretius l. 6. ait:

Nec res ulla magis, quam Phœbi Delphica Laurus
Terribili sonitu flamma crepitante crematur.

Hi sonitus cessarunt paulatim, & ipsa Apollinis oracula obmutuerunt, postquam in vicinia Daphnes S. Babylæ Martyris reliquiæ, capsulæ cuidam inclusæ fuerunt repositæ. Multis precibus & victimis institit Julianus Apostata, ut resciret causam silentii, accepit tandem hoc responsi a Dæmone: *Daphnes locus cadaveribus scatet, id quod oraculum arcet.* Non ausus est dicere, Martyris vicinia os sibi obstructum esse, ne cultoribus suis foret ridiculus, ut bene notavit S. Chrysost. l. contra Gentiles. Hinc auferri jussit Julianus capsulam cum Reliquiis Martyris, & ab Antiochenis in urbem suam deportari. Sed cur non attrivit, & exussit illam? quærit idem Sanctus; horribiles pœnæ, quæ a Deo inflictæ erant avunculo ejus, & Felici præfecto ærarii, exterruerunt eum. Vide Baron. in annum Christi 362.

In sensu morali Daphne est anima fonte baptismatis in Christo regenerata, quæ mundi, & carnis persecutiones patitur; sed fixum habet, constanter toto vitæ suæ tempore virginem castam exhibere Christo... durante tamen, & invalescente tentationum æstu, ne viror castitatis, & vigor patia-

tiatur, *ad humorem mittet radices suas,* *Jerem. c. 17.*
& non timebit, cum venerit æstus. Imo in
lavacrum Sanguinis, & fontem regenerationis suæ demergi desiderat, aut mutari in Christum, ut cum Apostolo possit dicere: *Vivo ego jam non ego, vivit vero in me Christus.*

MATTHÆI

CAP. IX. V. 23.

Cum venisset Jesus in domum Principis, & vidisset tibicines.

MAcrobius l. II. in Som. Scip. c. 3. ait: *Mortuos ad sepulturam cum cantu prosequi oportere, plurimarum gentium vel regionum instituta sanxerunt.* Hunc cantum ornabant & distinguebant tubæ & tibiæ; quanquam tubæ sonantiores in funere virorum, ac nobilium adhiberi solerent; tibiæ vero exilioris sonitus in puerorum, & plebejorum exequiis. Testatur idem Alexander ab Alexand. l. 3. c. 7. *Senatoribus patritiis, summis Ducibus tuba; minoribus, & plebeiis exequiali tibia canebant tibicines.* Et Servius in l. 5. Æneid. *Sciendum, majoris ætatis funera ad tubam solere proferri; minoris vero ad tibias.* Quan-

quam non semper id servatum fuerit: nam Suetonius tibiæ meminit in funere C. Julii Cæsaris cap. 83. Tibicinum pariter, & cornicinum Seneca in funere Claudii. Ovid. lib. 5. Trist. eleg. 1. fortunam suam extenuans, non tuba, ait, sed

Tibia funeribus convenit ista meis.

Videtur proinde tuba funeribus duntaxat indictivis fuisse adhibita; tibia vero promiscue omnibus, quibus etiam communes erant Næniæ ad tibiam cantari solitæ. Ovidius l. 6. Fastorum refert, quanti, & a quibus fierent, & quot tibicines fuerint adhibiti.

Temporibus veterum tibicinis usus avorum
Magnus, & in magno semper honore fuit.
Cantabat fanis, cantabat tibia ludis,
Cantabat mœstis tibia funeribus.
Dulcis erat mercede labor; tempusque secutum est,
Quo subito grata frangeret artis opes.
Adde, quod Ædilis pompa qui funeris exit,
Artifices solos jusserit esse decem.

De eodem numero tibicinum meminit Cicero l. 2. de legibus. Tibicines vero solitos fuisse adhiberi puerorum funeribus, & a quo mos ille institutus fuerit, refert Statius l. 6. in exequiis Archemori,

Tum

Tum signum luctus cornu grave mugit adunco
Tibia, cui teneros suetum traducere Manes,
Lege Phrygum mœsta, Pelopen monstrasse ferebant
Exequiale sacrum, carmenque minoribus umbris
Utile, quo geminis Niobe consumpta pharetris
Squalida bis senas Sipylen deduxerat urnas.

In hunc Statii locum ita ait Lactantius Placidius: *Jubet religio, ut majoribus tuba, minoribus tibia caneretur*. Cantores illi Siticines vocabantur. Sic enim A. Gellius l. 20. cap. 2. ait: *Nos autem in Capitonis Atteji conjectaneis invenimus Siticines appellatos, qui apud sitos canere soliti essent, hoc est, vita functos, & sepultos.*

Sed quæ causa erat funeribus adhibendi cantum, tubas, & tibias? 1. Ut suis modis luctum excitarent in vicinis & amicis, ait Lucianus in Dialogo de luctu. Hinc tibias audire non licebat Flamini Diali, ut Festus author est: *Funebres tibiæ dicuntur, cum quibus in funere canitur, quas audire Flamini Diali putabant illicitum*. 2. Boethius in procœmio musices inquit: *Ut cum cantico dulcior fiat causa flendi*. 3. Hyginus in historia fabulari refert,

fert, hoc sensu a Tyrrheno Herculis festum institutum, ut cum sepelirentur mortui, populus sono conchæ pertusæ convocaretur, cerneretque, non jam Tyrrheni comites devorare homines, ut ante, sed sepelire. Sic & Romani tibicinum cantu convocabant amicos, testandi gratia, mortuum neque veneno, neque ferro periisse. 4. Fortasse & spectra ferali cantu volebant abigere: nam eum in finem olim, si quis fuisset mortuus, æra & campanas fuisse pulsata, annotavit Scholiastes Theocriti: quod is sonus credebatur spectra, & Dæmonum ludibria avertere. 5. Macrobius loco superius citato ait, Gentiles cantu in sepultura usos ea persuasione, *qua post corpus animæ ad originem dulcedinis musicæ, id est, ad cælum redire credantur*. Hæc causa Platonicum dogma redolet. 6. Alexander Aphrodisius in Problemat. Polyd. l. 6. c. 10. de invent. *Cum tubis tibiæ quoque ac tympana adhibebantur, & ea omnia, ut hominum mortuos lugentium animi languentes tali sono excitati minus dolorem sentirent, qui iis oblectamentis facile distrahi soleant*. Cur tuba mortem præsignificet, subtilem interpretationem dat Artemidorus, quod illa ex ossibus facta notet te in cineres & ossa iturum. Verba ejus sunt: *Composita est enim ex osse, & ære*. Porro, ut ab Hier. Magio observatum est, tubæ

ac

ac tibiæ mortuales ceteris latiores & longiores erant, quales in antiquorum sepulchris exsculptæ videntur, ut sonum gravem funeribus proprium possent edere. Galeno enim instrumenti latitudo causa gravitatis est in cantu tibiarum, tubarumque: de quo plura videri possunt apud Magium l. 1. miscell. cap. 13.

Præter tibicines, erant in funeribus mortuorum præficæ, *ut quæ conducta plorant in funere*, ait Horatius, & carmen aliquod lamentabile & inconditum insonabant, ad deplorandum & collaudandum mortuum accommodatum. Carmen illud latine Lessus vocatur, Græce Nænia, id est, carmen, ut Festus ait, quod in funere laudandi gratia cantatur ad tibiam. Præficæ secundum Varronem ideo dictæ, quod planctui præficerentur; hæ laudes defuncti & præclara recensebant facinora, tundebant pectora, ejulatus lugubres edebant, in amicis & vicinis dolorem ambitiose provocabant. Hunc morem parentandi defunctis videntur Judæi didicisse a Gentilibus, quibus immixti sæpius vixerant. Eundem insinuat Jeremias C. 9. ubi dicit: *Vocate lamentatrices, & veniant, & deducant super nos lamentum*. Propterea David Ps. 77. *Juvenes eorum comedit ignis, & virgines eorum non sunt lamentatæ*. Alii magis proprie explicant, *Et Virgines*

gines eorum non sunt laudatæ.

Apud Christianos tibicinum, & præficarum loco olim Psaltriæ erant substitutæ, quæ Psalmos canebant. Meminit illorum Justinianus Novell. l. IX. Div. Hieronym. in Epitaphio Paulæ testatur, Christianos in funere & exequiis suorum cecinisse Alleluja, quæ vox est gratulantis potius, quam lugentis. Idem asserit S. Chrysost. Homil. 4. ad Hebr. „ Dic mihi, quid „ sibi volunt istæ lampades tam splendidæ? „ nonne sicut Athletas mortuos comitamur? „ quid etiam hymni? nonne ut Deum „ glorificemus, eique gratias agamus, „ quod jam coronarit discedentem, quod „ a laboribus liberarit, quod a laboribus „ liberatum jam apud se habeat &c. „ Imo idem S. Orator l. c. non dubitat affirmare, Deum ipsum voluisse & approbasse Psalmodiam in Christianorum funeribus, ad evertendam illam perversam consuetudinem plangendi & inconsolabiliter lugendi mortuos. Lugeant, lamententur & deplorent suorum obitus Gentiles, *sicut & ceteri, qui spem non habent.*

1. Thess. c. 4.

Dei servum non decet fratrum suorum mortem nimium deflere, nec ob instans fatum suum contristari. Non enim dolet, sed exultat nauta, & potius celeusma canit, si portum attigit; miles ovat peracto prælio, & triumphat; gaudet exul & pe-

re-

regrinus aditu patriæ; inclusus carceri patente porta; cursor, & viator termino; laborum fine operarius. Jam vero justis mors portus, finis agonum, introitus patriæ, janua, meta, quies.

ACT. APOSTOL.

CAP. VII. V. 43.

Suscepistis Tabernaculum Moloch, & Sidus Dei vestri Rempham.

QUis Deus per Moloch in Scripturis intelligatur, alibi explicatum est. Quale vero idolum per Rempham significetur, obscurum plane ac dubium est. In Hebræo textu nomen Rempha non legitur, sed Chium imaginum vestrarum. Videntur proinde 70. Interpretes addidisse ῥομφά, nomen forsan tunc magis notum, quam Chinan, vel Chyon. S. Hieronym. ait pro Rempham alios Rompha, alios Repham, vel sine diphthongo, vel cum illa, alios Rephon legere. Volunt aliqui primo nomen illud derivari ab Hebraico *Rapha*, quod est *sanare*, eo quod crederetur idolum illud morbos sanare. Alii censent *Rephan* significare *Gigantem;* sic enim Syri Deum suum vocare solebant *Gigantem* *sa-*

saeculorum. Fundamentum illud asserendi ex eo sumunt, quod putent *Rephan* oriri ab Hebraico *Rapha*, qui fuit pater Gigantum, & hinc Gigantes *Raphaim* nominantur.

Recentiores Hebræi judicant Saturnum fuisse. Is enim ab Arabibus, & Persis *Kivan* appellatur, quod videtur idem esse cum *Kevan*, & *Rephan*. Ribera Jovem fuisse censet, qui habuerit stellam in vertice. Oecumenius stellam istam Luciferum fuisse opinatur; sed in fronte Moloch: nam simulacris stellas subinde affixas fuisse ex eo potest colligi, quod Romani simulacro Julii Cæsaris stellam in vertice legantur addidisse, ut Suetonius meminit in vita ejus cap. 88.

S. Hieronym., Remigius, Albertus, Beda, Lyranus, Glossa interlinearis, aliique censent fuisse stellam Veneris sive Luciferum: hanc enim stellam quasi Reginam cæli Syri olim coluerunt. Illam pariter, teste Hieronymo in vita S. Hilarionis, venerati sunt Saraceni. Cultus illius idololatrici occasionem dedisse videtur eximius splendor sideris, & fidele satellitium, quod imperatori siderum Soli præstat, orientem præcurrendo & nuntiando, occidentem subsequendo; siquidem sidus illud Rempham fuerit, de quo cum nihil certi possit statui, ad alia progredior.

ACTOR.

ACTOR.

CAP. XIV. V. 11.

Vocabant Barnabam Jovem, Paulum vero Mercurium.

PLus fundamenti & rationis non tantum ex præsenti Capite, sed aliis etiam Scripturæ locis nobis suppetit, cur Paulus dictus sit Mercurius, quam Barnabas Jupiter. Lyranus existimat, ideo forte Barnabam fuisse a Barbaris Jovem appellatum, quod esset statura & ætate grandior; Paulus vero parvo & contracto corpore: hinc tricubitalem eum nominat S. Chrysost. & Paulus ipse 2. Corinth. 10. de se refert, Epistolas suas videri quidem aliis graves & fortes; sed præsentiam corporis sui infirmam. Notat præterea S. Chrysost. fuisse Barnabam vultu joviali, & pulchro, benignum, moribus liberalem, & beneficum. Sic Deorum maximus, & optimus dictus est Jupiter; quod sit juvans pater; & ideo Maximus, quia Optimus, id est, beneficentissimus: quia, ut ait Cicero, *Majus est, certeque gratius prodesse omnibus, quam opes magnas possidere*. l. 2. de nat. Deorum. Beneficentia hominem

Deo reddit ſimilem. *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter cæleſtis miſericors eſt.* *Eſto calamitoſo Deus*, ait S. Greg. Naz. de cura pauperum. Et ad Cives Nazianzenos de Beneficentia: *Licet tibi nullo labore Divinitatem aſſequi*. Ad hæc videtur Barnabas ſua ſpecie & gravitate adſtitiſſe quaſi ſilens Paulo, ut Jupiter Mercurio, velut nuntio & præconi ſuo.

Sed cur Paulus dictus eſt Mercurius? *Quoniam ipſe erat dux verbi*, ait Scriptura. Habitus fuit Mercurius Deus ſermonis & facundiæ, Majæ & Jovis filius, hoc eſt τῦ νῦ, καὶ φρονήσεως: eo quod ex mente & prudentia fiat oratio: vel ut Phornutus ait, ex Maja eſt natus, id eſt, ex ſpeculatione & inquiſitione. Maja enim ſic dicta eſt, quod ſcrutando & inquirendo partus mentis in lucem producat. Juvenis fingebatur, quod oratio non ſeneſceret; formoſus, non tamen fucatus & comptus; ſed nativa quadam virtutis ſpecie, vultu hilari, acribus oculis, in baſi quadrata, ob firmitatem & robur veri ſermonis, capite & pedibus alatus, quod alacer per aerem ſermo feratur &c. Quis inter omnes Evangelii præcones Paulo fuit in rerum cæleſtium cognitione ſublimior? quis Apoſtolo in dicendo eloquentior? Exemplum nobis affert Aratus Diaconus l. 2. in Act. Apoſtol.

In-

Ingeniis claras & linguis Paulus Athenas
Ingreditur, tumidamque feris conflictibus urbem
Eloquii torrente premit &c.

Tradit S. Chrysostomus homil. 3. in 1. ad Corinth. disceptatum fuisse inter Ethnicos, an Paulus Platoni, cujus doctrinæ gravitatem & subtilitatem imprimis venerabantur, præferendus esset?

Mercurius Græcis dictus est Hermes ἀπὸ τοῦ ἑρμηνεύειν, ab interpretando, quod interpres Deorum fuerit. Quam fideliter Paulus manifestavit nobis & explicavit, quæ didicit per revelationem D. N. J. C.? Aliqui putant, Mercurium sic nuncupatum, quasi *Medicurrium*; quod oratio inter loquentes duos currat & reciprocetur; vel quod *medius* inter Deos & homines tanquam ipsorum nuntius currat. Hinc & *Caduceator* seu *Caducifer* dicitur, legati pacifici exemplar: quia medius imos summosque conciliat. Apostolum inter Deum & homines, Christum inter & Fideles nuntium & legatum extitisse, & quidem caduciferum seu pacis nuntium, probatione non indiget; cum id certo ex ejus nobis constet Epistolis. Ait enim ad Ephes. cap. 6. Se *pro Evangelio legatione fungi in catena*; & ad Corinth. 2. cap. 5. *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo*

exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.

Fingitur præterea Mercurius in manu Virgam habuisse, qua posset ex Orco Manes evocare, fuisse rei mercatoriæ & artis furandi præses &c. Quomodo S. Paulus animas ex inferni faucibus eripuerit, quæ spolia fecerit, instar lupi rapacis, quam pio dolo Fideles ceperit &c. non est operæ pretium pluribus demonstrare; cum ex dictis sat superque appareat, quam merito dictus sit Paulus a Gentibus Mercurius.

ACT. APOSTOL.

CAP. XIV. V. 12.

Sacerdos quoque Jovis, qui erat ante civitatem, Tauros, & Coronas ante januas afferens cum populis volebat sacrificare.

Causa divini hujus cultus erat, quod Paulus claudum ab utero matris suæ recte fecerit ambulare; cum enim Lystram veniens eundem intuitus adverteret, quod fidem haberet, ut salvus fieret, dixit voce magna (Arati Diaconi verbis utor)

Surge citus, rectusque tuis imponere plantis.

Exe-

Exequitur praecepta salus, & calle novello
Progreditur persona senex, motuque frequenti
Pulsat ubique solum;
------- quod ut agmina cernunt,
Exclamant, Divumque vocant; ac serta ministrant,
Ut mactanda feri procedat victima tauri.

Fuit hæc malesana Gentilium persuasio, ut eos homines, quos mira quædam, & naturæ vires excedentia patrare conspicerent, tanquam Deos adorandos esse censerent. Ita legimus Danielis cap. 2. v. 46. quod Nabuchodonosor Rex Danielem somnii sui interpretem cadens in faciem adorarit, & hostias, & incensum præceperit ut sacrificarent ei. Sic Paulo Thaumaturgo tauros, & coronas a Jovis sacerdote allatos esse, ex titulo cognovimus. Virgil. 3. Æneid. etiam meminit taurum Jovi immolatum fuisse,

------- Superoque nitentem
Cælicolum Regi mactabam in litore taurum.

Sed hic sacrificulus tanquam ignarus Juris Pontificii reprehenditur ab Evanglo apud Macrobium, eo quod vetitum esset Jovi taurum immolare; cujus rei Authores citat Attejum Capitonem, & Labeonem summos juris consultos; ex quibus ille, si

id fieret, piaculum affirmabat. Excusandus Virgilius; narrat enim ut rem insolitam, & ex qua prodigium sit factum, ut notavit Servius.

Coronæ olim publico decreto ab Ethnicis erant Diis dicatæ, testandæ pietatis gratia, aut ostentandæ, nulli vero mortalium dicabantur nisi universis. Plinius l. 16. *Antiquitus quidem nulla corona, nisi Deo dabatur; ob id Homerus cælo tantum eas, & prælio universo tribuit; viritim vero, ne in certaminibus quidem, nulli*. Hinc coronas Deo dicatas Suetonius sacras nominat. Nero propterea easdem Templis detractas circumponendo lectis suis, cultum divinum ad personam suam videri potuit transtulisse. Verisimile est, coronis illis, de quibus hic mentio, victimas Jovi offerendas fuisse coronatas: talibus enim nihil apud Gentiles fuit communius. Cum enim Dii eorum coronati essent, ut alibi ostensum, censebant coronatam pariter, id est absolutam, selectam, perfectam & eximiam offerendam esse victimam. Ita Ovidius 15. Metam.

Victima labe carens, & præstantissima forma
(Nam placuisse nocet) vittis præsignis & auro
Sistitur ante aras.

Prudentius Hymno decimo peristephan.

Huc

Huc taurus ingens fronte torva & hispida,
Sertis revinctus aut per armos floreis,
Aut impeditus cornibus deducitur.

Juvenal. Satyr. 13.

Quaque coronata lustrari debeat agna.

Ovid. l. 1. Fast.

State coronati plenum ad præsepe Juvenci.

Sic Iphigenia Agamemnonis filia immolanda coronata ducta fuit ad sacrificium, teste Euripide in Aul. Act. 4. Apud eundem Macaria moritura coronari vult: *Ducite, ubi oportet hoc corpus cadere, & coronate, & initiate, si videtur.* Heracl. Act. 2. Plutarchus in Paulo Æmilio: *Post hos*, ait, *ducebantur auratis cornibus armentales boves centum viginti, mitris ornati & corollis*, & hæ coronæ erant ex herbis, vel floribus, sacris illis Diis, quibus immolabantur; ex hedera, si Baccho, ut in sacrificio Daphnidis videre est apud Longum; ubi optima caprarum hedera coronatur, antequam mactetur. Ex olea, si Minervæ; ex pinu, si Pani; ex malo Punico, si Mercurio; ex quercu & juglande, si Jovi &c. Communiter ex Cupresso. Hæc arbor florida semper, & odorata feralis quidem semper est habita; non tamen in usu sacrificiorum, in quibus jungebatur frondibus pariter odoratis, Lauro

ſcilicet, & myrto, neque aliter una cum victima eam Deo offerri par erat. Vide Carolum Paſchalium l. 4. cap. 17. Prudentius in Apotheoſi:

Pontificum feſtis ferienda ſecuribus, illic
Agmina vaccarum ſteterant, vitulaſque revincta
Fronte coronatas umbrabat torta Cupreſſus.

Ex Feſto, & Servio licet colligere, eos olim fuiſſe appellatos Ovantes, qui coronatas tantum oves ante ſe agebant, & exacta pompa immolabant. Tertul. denique l. de corona militis inquit: *Ipſa fores, ipſa hoſtia & ara, ipſi miniſtri & ſacerdotes eorum coronantur.* Porro, quid Apoſtolus egerit, dixeritque, cum coronas, & victimas pro ſe cerneret præparari, ſupra memoratus Diaconus verſu ſuo heroico pergit nobis deſcribere:

Paulus ad hac tunicam rumpit feſtinus, aperta
Sic prohibens ratione viros: Solennia nobis
Cur precor iſta datis? fragili quos corpore conſtat
Terrena ſub lege premi? fuit impius olim
Relligionis honor; cum Numina fuſa metallis
Artifices timuere ſui; cum Templa dicarent

Ab-

Abscissis de rupe Diis : hinc forte licebat
Innocuos mactare greges , fibrasque tepentes
Consulere , & vocem pecudis morientis in extis
Quærere ; nunc libeat vanis cessantibus aris ,
Æterno parere Deo . &c.
His dictis instructa Fides .

Quemadmodum Gentiles in templis & sacrificiis usi sunt coronis frequentissime , ita & Christiani etiam in sacris easdem cœperunt usurpare , non tamen primis Ecclesiæ temporibus , ne qua videretur superstitionis communicatio . Hinc & Tertullianus insectatus est integro libro usum coronarum , tanquam profanum , Ethnicis proprium , a Patriarchis & Prophetis alienum , imo ipsi naturæ contrarium ; successu tamen temporis sine ullo scandali & erroris periculo ad Dei , & Sanctorum gloriam coronis usi sunt Christiani . Certe S. Hieronymus laudat Nepotianum , quod Ecclesias Martyrum diversis floribus , arborum ramis , vitiumque pampinis exornaret . Ad idem faciendum Fideles hortatur S. Paulinus:

Spargite flore solum , prætexite limina sertis .

In actis Severiani apud Surium tom. 5.

legitur coronam ex floribus ejusdem Martyris Reliquiis fuisse impositam. Imo refert S. Augustinus l. 22. de Civit. Dei cap. 8. Flores ad decorandas Stephani Reliquias super altare positas magna miracula edidisse. Jure igitur Ecclesia approbat, suadet, hortatur, sertis floreis, aut aliis ejusmodi ornamentis Christi victimas, id est Martyres coronari. Bacchus fingitur in amoris signum Ariadnæ coronam suam imposuisse, & hanc postmodum cælo donasse *in pretium sceleris*, ut Prudentius ait l. 1. contra Symmachum. Vah pudor! cum ejus loco, præstaret Virginum, Confessorum, & Martyrum coronas inter sidera collocari: tales enim odorem boni exempli nobis afflant, & ad Sanctorum imitationem non leviter nos exstimulant. Ita legimus, Janitorem & custodem 40. Martyrum (quorum memoria decima Martii ab Ecclesia celebratur) cum Angelos e cælo descendentes vidisset, qui coronas Martyribus distribuerent, & uno, qui a fide defecerat, excepto, quadragesimam deesse advertisset, statim Christianum se professum esse, & ad cruciatus subeundos paratum se obtulisse, ut corona quadragesima donaretur, votisque suis potitum esse.

ACT.

ACT. APOSTOL.

CAP. XVII. V. 23.

Ignoto Deo.

IN actibus Apostolorum prædicto Capite legitur, Apostolum venisse Areopagum, & aram reperisse inscriptam hoc titulo: *Ignoto Deo*. Lucianus in Philopatride bis meminit ignoti Dei Atheniensium. Oecumenius refert, non totum hunc fuisse titulum. Verba illius sunt: *Est autem integra aræ inscriptio in hunc modum: Diis Asiæ, & Europæ, & Lybiæ, Deo ignoto & peregrino*. S. Hieronym. eandem ponit inscriptionem in Epist. ad Titum cap. 1. sed in plurali: *Diis ignotis & peregrinis*. Verum quia Paulus, ut inquit S. Hieron. non pluribus Diis indigebat; sed uno tantum ignoto Deo, singulari numero usus est; ut doceret illum suum Deum esse, quem Athenienses in aræ titulo prænotassent, & recte eum colere deberent, quem ignorantes venerabantur, & nescire non poterant. Hæc ignotorum Deorum Latria non apud Athenienses solum, sed alias etiam Nationes viguit. Magnam illorum copiam fuisse existimatam, ex l. 1. Ciceronis

nis de natura Deorum licet colligere. Verba illius hæc sunt: *Chrysippus, qui Stoicorum somniorum vaferrimus habetur interpres, magnam turbam congregat ignotorum Deorum, atque ita ignotorum, ut eos ne conjectura quidem informare possimus.* Strabo l. 3. Geograph. memorat, Celtiberos, & qui ad Septentrionem eorum sunt vicini, innominatum quendam Deum in plenilunio cum choreis adorasse. Tertull. l. contra Marcionem cap. 9. ait: *Invenio plane ignotis Diis aras prostitutas; sed Attica idololatria est. Item incertis Diis; sed superstitio Romana est.* Nam Aulus Gellius l. 2. cap. 28. ait, Romanos in terræ motu ferias indicto imperasse in honorem Dei alicujus, cujus nomen ignorabant: *Quoniam & qua vi, & per quem Deorum, Dearumve terra tremeret, incertum esset.*

Pausanias in Atticis l. 1. ait: *Ara praterea & Deorum, & Heroum, qui ignoti vocabantur.* Hi tales Dii videntur fuisse, de quorum divinitate non satis constabat, quos Semideos vocabant, Nymphas, Rustica Numina, Satyros, Monticolas, Sylvanos &c. de quibus ita Jupiter loquitur apud Ovidium l. 1. Metam.

Quos quoniam nondum cæli dignamur honore,
Quas dedimus certe terras, habitare sinamus.

Li-

Lilius Gyraldus in Historia Deorum Syntag. 17. ait: Arabes sacrificasse camelos pingues & saginatos in ara *Ignoti Dei*. De Indis Peruanis, novæque Hispaniæ incolis referunt Acosta l. 5. hist. natur. & moral. Indorum cap. 3. & Nierenbergius in histor. natur. l. 8. cap. 13. quod *Deum Ignotum* sint venerati, & nomen ejus pronuntiare abstinuerint. Innotuit forsan Gentilibus aliquid de nomine Dei Hebræorum, quod ineffabile habebatur, quatuor literis Hebraicis expressum; Latine Tetragrammaton, *cujus Majestatem* (verba sunt Hieronymi) *etiam Gentilitas non ignorat*, *&* *Atheniensium testatur Ara*; *Ignoto Deo*. In l. Ezech. c. 16. Lucanus in Pharsal. l. 2. ait:

-------- *Dedita sacris*
Incerti Judæa Dei.

De eodem Poeta hæc habet S. Augustinus: *Quidam Lucanus magnus eorum in carminibus declamator, credo & ipse diu quærens, sive per suas cogitationes, sive per suorum literas, quisnam esset Judæorum Deus; & quia non pie quærebat, non inveniens, maluit tamen incertum Deum, quem non inveniebat, quam nullum dicere, cujus tamen magna documenta sentiebat*: *ait enim*: *Et dedita sacris incerti Judæa Dei*.

Et Juvenalis:

Quidam sortiti metuentem Sabbatha Patrem

Nil

Nil præter nubes, & cœli Numen adorant.

Meminit & Cicero l. 2. de legibus Dei Sabbathii, & quorundam aliorum peregrinorum Deorum, quos una cum cunctis Gentium Diis Judæi habuere contemptui, unum solummodo colentes Deum, sed, ut dictum est, ineffabilem, cujus nullam patiebantur effigiem fieri, & ne nomen ejus vulgo proderent, summopere cavebant; ut vel ideo apud Philonem Judæis objecerit Cajus Cæsar, *quod Deum sine nomine colerent*. Exinde incerti hærebant ceteri populi, quem tandem Deorum ea Natio coleret. Ceterum refert Herodotus, à Pelasgis Deos nullis affectos cognominibus cultos fuisse.

De Samote quodam in Galliis regnante, qui & Dis appellatus est, lego in tertia parte Argenidis l. 1. cap. 9., quod, cum Hesperius Oceanus ruptis obicibus amœnissimas valles inter Europam & Africam longe lateque excurrentes inundasset, & eo jam processisset, ut Galliæ fines aquæ maris libarent, preces & vota a populo fieri mandarit. Sacerdotes ipsi, qui secundum Regis nomen Semmotei vocabantur, hecatombas multas offerre, & omnibus litationibus placare Superos, quos infensos sibi reputabant. Tunc Samotes ipse, qui Numinis instar inter Gallos o-

mni

mni justitiæ & sapientiæ laude eminebat, similis vaticinanti ædem, & aram ibi jussit extrui, atque *Ignoto Deo* consecrari; huic & Flaminum collegium, & summum Pontificem, penes quem summa Sacrorum esset, superaddidit, asserens: Donec staret hæc Ara, tam diu Gallos ab aquis illis superstagnantis pelagi, atque ab hoste externo fore incolumes. Forte hæc Ara Ignoti Dei fuit eadem illa, cujus meminit Martialis Gallorum Episcopus ad Burdigalenses: sic enim Epist. 1. cap. 13. ad eos scribit: *Nam, dum Altaria dæmonum in pulverem redigerentur*, Aram Ignoti Dei *ad consecrationem reservari jussimus*.

Sed qua occasione aut causa Aram *Ignoto Deo* Athenienses statuere? S. Chrysost. tom. 4. Hom. 3. in cap. 1. Epist. ad Titum: *Athenienses quoniam ab initio Deos omnes non acceperunt, verum per tempora, illorum Sacra urbem ingressa sunt, sicuti quæ ex Hebræis allata referuntur; sicuti Pan ex Arcadia; sicuti parva qualibet ac magna mysteria, conjicientes ex hoc fieri posse, ut esset & alius Deus, qui ab ipsis nesciretur; ut etiam illi se ipsos devoverent, eam Aram instituerunt, quam inscriberent* Ignoto Deo. Philostratus l. 6. cap. 2. ait: *Præclarius est, & modestiæ majoris indicium, de Diis omnibus bene loqui, Athenis præsertim, ubi etiam* Ignotis

Diis

Diis *Ara sunt constituta*. Oecumenius in cap. 26. Act. Apost. recenset „ quosdam „ dicere, pestem Athenis grassatam fuis„ se; cum autem nihil adjumenti a Diis „ indigenis accepissent, opinantes fortasse „ quendam esse Deum, quem ipsi honore „ prosequi omisissent, quique pestem im„ miserit, novam extruentes aram inscri„ psisse *Ignoto Deo*, cumque ipsi sacrificas„ sent, malum cessasse. „ Certe Thucydides meminit pestilentis mali, quo Athenarum civitas afflicta fuit, L. 2. de bello Pelopon. De eadem peste meminit quoque Laertius, & positis ob eam causam aris *Deo anonymo*, L. 1. circa initium vitæ Epimenidis Philosophi.

Aliam adfert causam S. Chrysost. & fusius Oecumenius, cujus hæc sunt verba: „ Aliqui dicunt, quod Athenienses Philip„ pidem miserint ad Lacedæmonios de fe„ rendo auxilio, cum Persæ exercitum „ ducerent in Græciam; quorum nuntiis „ juxta Parthenium montem Panis spe„ ctrum obviam factum Athenienses ac„ cusabat, quod se neglecto alios cole„ rent, & auxilium promisit: cum itaque „ victoria potiti essent, templum illi ere„ xerunt, aramque ædificarunt, & tan„ quam observantes, ne vel idem sane, „ vel aliud simile ipsis accideret, si quem „ ignotum Deum prætermitterent; Aram

„ illam

„ illam erexerunt , inscribentes Ignoto
„ Deo ; Si quis adhuc alius a nobis igno-
„ retur , in ejus honorem hæc ara a no-
„ bis erecta esto . „ Posset etiam dici, Athenienses , cum rerum novarum essent curiosissimi , & proni admodum in cultum Deorum aliarum Gentium , ita ut Strabo dicat l. 10. Geograph. Athenienses multa sacra etiam peregrina recepisse, eoque nomine etiam in comœdiis exagitatos esse ; hinc , inquam , posset dici, eos, cum de Hebræorum Deo multa inaudiissent , sed qualis esset, & cujus nominis, ignorarent, Aram *Ignoto Deo* posuisse.

Baronius censet, aram singulari cuidam ignoto Deo extructam fuisse, & ut putant aliqui , soli vero Deo , eo quod ex antiquorum Philosophorum placitis didicerint, præsertim Trismegisti , & Sibyllarum oraculis, unum dari Deum invisibilem, imperceptibilem , innominatum, ineffabilem, secundum doctrinam Hebræorum, ex qua meliores Philosophi non pauca transcripsere: & Augustinus expresse fatetur , Athenienses , licet extra Ecclesiam fuerint , unum verum Deum coluisse.

ACT.

ACT. APOST.

CAP. XIX. V. 28.

Magna Diana Ephesiorum.

EPhesus olim a Caribus, & Lelegibus habitata, ab Amazonibus munita, dein Athieniensium, & Jonum Colonia; sed aucta postmodum, & in meliorem formam redacta inter urbes Joniæ post Miletum multis sæculis maxima, ditissima, potentissima, Asiæ denique totius intra Taurum montem Emporium nobilissimum a cultu Dianæ fuit celeberrima. *Quis enim hominum est*, ajebat Demetrius Act. 19. v. 35. *qui nesciat Ephesiorum civitatem cultricem esse magnæ Dianæ, Jovisque prolis?*

Teste Cicerone plures fuerunt Dianæ; sed illa nominatissima, quæ eodem partu cum Apolline ex Jove & Latona est progenita. Et hæc creditur fuisse Diana Ephesina, quæ a S. Hieronymo *Multimammia* vocatur, *ut scilicet ex ipsa quoque effigie mentirentur omnium eam bestiarum, & viventium nutricem esse*: quam sic appellat Apulejus in precibus, quæ extant in principio l. 11. Metamorph. *Regina cæli, sive tu Ceres alma, seu tu cælestis Venus, seu Pha-*

Phœbi soror, quæ partu ferarum medelis lenientibus recreato populos tantos educasti, præclarisque nunc veneraris delubris Ephesi. Fingitur Dea illa mansisse Virgo. Sic Virgil. Æneid. 2.

Virginis os, habitumque ferens, & Virginis arma.

Hinc & Græce ἄρτεμις, sive integra vocatur. Vim & potestatem suam in cælo exercere putabatur, in terra, & infra terram, secundum versus illos:

Terret, lustrat, agit, Proserpina, Luna, Diana,
Ima, superna, feras; sceptro, fulgore, sagitta.

Inter Deos erat Majorum Gentium; ut ex versu Ennii licet colligere:

Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars.

Hinc legimus exclamasse Ephesios: *Magna Diana*. Credebatur præterea esse Venatorum Præses, & parturientium obstetrix, ut Horatius ait l. 3. od. 21. Quod autem primum parientes solverent Zonas, quas Dianæ dicabant, *Solvizona* dicta est. Templum habuit Ephesi nobilissimum inter 7. Orbis miracula relatum; Asiæ illud totius studio ducentis & septuaginta annis Architecto *Ctesiphonte* fuit ædificatum; erat longitudo ejus pedum quadringentorum quinque ac viginti, latitudo ducentorum & vi-

viginti. Videbantur in eodem centum & viginti septem columnæ a totidem Regibus erectæ, admirabilis longitudinis ac pulchritudinis: nam ad sexaginta pedum mensuram accedebant, quarum triginta sex erant incredibili artificio, & magnifice cælatæ cum aptis tanto artificio columnarum epistyliis. Aderant & picturæ mirificæ, & statuæ pulcherrimæ, quæ magnificentiam templi ornabant & augebant. Templum illud Asylum erat non vulgare, & in idem velut in tutissimum ærarium condebant ditissimi thesauros ac pecunias suas, ut Dion, & *Justinus* tradunt de Annibale. Totum hoc admirandum ædificium ab Herostrato viro Ephesio incensum fuit eo die, quo natus est Alexander, ut videri potuisset Dianam, cum parturiret Olympias, adeo occupatam fuisse, (quod Hegesias Magnesius notavit) ut templum suum ab igne defendere non potuerit. Sæpius idem restitutum ac restauratum fuisse, meminit Plinius. Tempore S. Pauli adhuc celebre videtur fuisse, & splendidum; sed postmodum pretiosa dona omnia, & simulacra inde, atque ex Achaicis omnibus templis abstulisse Neronem Tacitus scribit l. 15. Fertur quoque Augustus Cæsar jus Asyli, quod illi templo olim competebat, & locis templo vicinis, abrogasse. Templum illud denique a Go-

this

this sub Galieno invadentibus Asiam penitus spoliatum fuisse atque incensum, tradit Capitolinus in Galieno.

Simulacrum Dianæ Ephesinæ ex ebeno fuisse fertur. Aliud nobis ejusdem Deæ describit Cicero act. 6. in Verrem: *Fuit apud Segestanos ex ære simulacrum Dianæ, tum summa atque antiquissima religione præditum, tum singulari opera artificioque perfectum.* Et post pauca. *Erat admodum amplum & excelsum signum cum stola, veruntamen inerat in illa magnitudine ætas atque habitus Virginalis, sagittæ pendebant ex humero, sinistra manu retinebat arcum, dextra ardentem facem præferebat.* Dubium esse non potest, quin fuerit simulacrum Dianæ Ephesinæ templi magnificentiæ proportionatum. Sed, ut S. Hieron. asserit, multis mammis præditum. Coronam turritam gerebat in capite: quia eadem credebatur Isis, Ceres, & Cybele, seu terra, quæ urbibus exculta est. Et quoniam (inquit Codinus de origin. Constant.) cujusque urbis sedes terra est, fingitur turrita, quasi urbes gestaret. Audiamus Macrobium lib. 1. Saturn. C. 20. Isidem adinstar Dianæ Ephesinæ describentem: *Isis cuncta religione celebratur, quæ est vel terra, vel natura rerum, subjacens Soli. Hinc est, quod continuatis uberibus corpus Deæ omne densetur: quia vel ter-*

ra, vel rerum natura halitu nutritur universitas. Fingebatur simulacrum illud non ab homine factum, sed cælo delapsum; quod vulgo creditum esse, Suidas docet in voce διοπετές. Sic mendacio aucta superstitio. Ita Palladium Trojanum, & Ancile Romanum cælo lapsa finxerunt. Qui majorem hujus simulacri expositionem desiderat, Claudium Menetreium Cimeliothecæ Barbarinæ præfectum consulat, qui librum scripsit de Symbolica Dianæ Ephesinæ statua, a Petro Bellorio cum notis in lucem restitutum.

Templi Dianæ Sacerdotes ex lege Eunuchi erant. Advenæ sacrum id munus ambientes, & si digni viderentur, eo ornati (quos Megabyzos dicebant) habebantur summo in honore. Sociis ac Symmistis in facienda re sacra utebantur non nisi virginibus. Varias Diana habebat victimas. Herodotus in Melpomene *scribit* legem in Tauris fuisse, ut omnes Græci, qui naufragi eo appulissent, Virgini Dianæ immolarentur, vel, ut maluerunt alii, e sublimi quodam loco præcipites dejicerentur. Boves etiam huic Deæ cedebant, & cædebantur in victimam. Hinc meminit Plutarchus in Lucullo, eidem apud Persas obvias fuisse boves, quæ per regionem incustoditæ vagarentur, lampadem, Dianæ notam, habentes impressam. Euripides in-

insinuat, omnium rerum, quæ nascerentur in terra, primitias huic Deæ offerri solitas. Fuit etiam consuetudo, ut cerva candida Dianæ mactaretur. Sic Ovidius canit:

Candida quæ semel est pro Virgine cæsa Diana,
Nunc quoq; pro nulla Virgine cerva cadit.

Videntur præterea Dianæ præsertim Ephesinæ oblatæ fuisse quædam ædiculæ templi, aut ipsius Dianæ imaginem continentes. Nam Act. 19. legitur: Demetrium quendam fecisse ædes argenteas Dianæ. S. Chrysostom. explicat de ædiculis & cooperculis, quæ ciboria nominat. Lyranus censet fuisse tabernacula quædam, in quibus inclusæ imagines Dianæ, aut templi. Aratus Poeta vocat *argentea vota*. Fuerunt forsan Tabellæ, vel ædiculæ ex argento elaboratæ, quasi votiva anathemata: similia enim Diis Gentium oblata fuisse, ex historiis constat. Meminit rerum ejusmodi Polybius, & appellat ναΐδια tempella, seu armaria, e quibus imagines Deorum depromi possunt: nec in templo solum talia offerebant sacra Gentiles; sed etiam religionis causa circumferebant. Ammianus l. 22. narrat, solitum Asclepiadem Philosophum Juliano Apostatæ amicum Deæ cœlestis breve figmentum, quocunque iret, secum deferre.

Non in Græcia solum, & Orientali

plaga; ſed per Orbem terrarum culta fuit Diana; ut ex relictis poſteritati Veterum monumentis licet colligere. In Leodienſi territorio oppidum cis Moſam, Dionantum nomine, aram habuit multis ſacrificiis nobilem, & cives ab hac Diana urbem ſuam Dionantum appellatam eſſe putant. Fertur quoque Maſſiliæ Diana templum habuiſſe; ſed per Lazarum dejectum. Idem Myræ factum in Lycia, per S. Nicolaum. Plerumque, ubi Dianæ veneratio fuit exhibita, ſua Apollini non defuit. Superius dictum eſt, in Daphne Antiochena fuiſſe utriuſque templum. Trevirenſes præter montem a cultu Apollinis famoſum, in ſuburbio prope S. Matthię, ad dextrum latus magnam ſervant ſtatuam lapideam ex alabaſtro fabricatam ad formam mulieris, quam fuiſſe Dianam loci incolæ certo affirmant. Idolum hoc cœpit ab adventu S. Eucharii obmuteſcere. Prope Epternacum in lapide quadrato ad rupem quandam inter Suram fluvium, & nemus propinquum in excelſiore loco artificis manu leguntur hęc verba: *Deæ Dianæ Quintus Poſthumius Protenſius*. Quod ſignum eſt, cultam ibidem fuiſſe Dianam, & in pago vicino Apollinem. Pagus enim modo Bollendorff dicitur, olim Apollendorff. Plura ejuſmodi inveniet Dianę cultus indicia, qui Veterum monumenta excuſſerit.

Fun-

Fundamentum hujus fabulosę superstitionis fuit forsitan Iphigenię historia. Si enim apud alias Nationes meruerunt ii in Deorum numerum referri, qui bonum publicum sua arte, industria, labore, aut sanguine auxerunt & confirmarunt; certe Iphigenia Deorum cœtui adscribi potuit. Cum enim pater ejus Agamemnon contra hostes classem e portu educturus, ex ignispicio cognovisset (verba ex Euripide refero) *Ex hujus terræ portu naves non deduces, prinsquam filiam tuam Iphigeniam Diana acceperit mactatam: quod enim annus pareret ille pulcherrimum, vovisti Lucifera te sacrificaturum Deæ, oportet te illam immolare;* non renuit Iphigenia fieri victima pro salute omnium.

Dio refert l. 35. in Cappadocia creditum semper, ibi simulacrum Dianæ Tauricæ, genusque Agamemnonis fuisse, duasque ibidem urbes extitisse, habentes gladium, quem verum Iphigeniæ putabant. Quid clarius verbis Herodoti l. 4.? *Dæmonem, cui immolant ipsi Tauri, ajunt esse Iphigeniam Agamemnonis filiam*. Superius autem audivimus, nobilissimum Taurorum Emporium fuisse Ephesum.

Multo probabilius sub Dianæ nomine ipsam Lunam venerati sunt Ephesini. Cicero l. 2. de nat. Deor. *Dianam & Lunam eandem esse putant*. Fuit autem Dia-

na filia Jovis, & Latonæ, quod nomen a λανθάνω, id eſt, lateo videtur deductum. Eſt enim Luna a ſupremo Jove e latebris ſui nihili creata. Eſt ſoror Apollinis, id eſt, Solis. Præſes venationum dicta eſt: lumen enim ejus nocturnum, quam feris gratum eſt, ut ſua inveniant pabula, tam venatoribus opportunum eſt, ut eaſdem capiant. Deinde Luna per circulum ſuum proprium, ſive Zodiacum noſtrum, id eſt, certum cæli ſpatium, ſtellis ferarum & animalium quorundam figuram exprimentibus diſtinctum, nocturno vagans tempore, dum alii ſomno, & illicitis non raro indulgent voluptatibus, ſatis fundamenti præbuit Ethnicis, ut illam venatricem dicerent, & virginem. *Hecate* dicta eſt, quod ἕκαθεν, id eſt, e longinquo radios ſuos & ſagittas mittat. *Triformis*, ob triplicem Lunæ figuram, falcatam, dum in arcum creſcit; inflexam, dum adoleſcit in ſemicirculum; rotundam, dum plenum orbem efficit. Hinc Claudianus: *Ternis Hecate variata figuris*. Parturientibus dicta eſt Diana aſſiſtere; quia Luna ob humoris copiam partum facilitat. Cicero lib. 2. de nat. Deorum ait: *Adhibetur ad partus, quod ii matureſcerent, aut 7. nonnunquam, aut plerumque 9. Luna curſibus*. Mammoſa erat Epheſiorum Diana: quod omnium beſtiarum, aut

vi-

viventium mater crederetur. Plinius lib. 2. c. 9. de Luna scribit: *Hæc afflatu suo terras saturat, accedensque corpora implet, abscedens inanit, adeoque cum incremento ejus augentur conchylia. Sanguis etiam hominum cum ejus lumine augetur, ac minuitur; frondes quoque, ac pabula vim ejus in omnia penetrantem sentiunt &c.* Plura ejusmodi sideris tam speciosi, terræque familiarissimi beneficia viam cæcis hominibus ad cultum stravere idololatricum.

In sensu morali Diana Virgo, quod venatrix fuerit, & armata, symbolum est conservandæ castitatis. S. Hieron. in Ep. ad Principiam ait, semper virginitatem gladium habere pudicitiæ, per quem truncat opera carnis, & superat voluptates. *Gentilis quoque error Deas Virgines finxit armatas*. Inter cæteras ad Dianam armatam Virginem S. Hieronymum respexisse non dubito. Si quod animal Natura castum finxit, *Apis* est: hinc & corpus quasi loricatum habet, & aculeo instructum. Si quis flos illibatę castitatis est symbolum, est *Lilium inter spinas*. Si quæ Virgo summam pudicitię laudem defendit, & obtinuit, hęc fuit *Deipara*; sed quomodo? *ut castrorum acies ordinata*. Sic nulla castitas, nisi armata, bene poterit conservari.

ACT-

ACT. APOST.

CAP. XV. V. 29.

Ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & fornicatione.

QUod simulacris immolatur, Grçcis dicitur Idolothytum ἀπὸ τῦ εἴδωλον, καὶ θύειν, quod immolare significat. Hinc etiam escę, quę Idolis offeruntur, Corinth. 8. vocantur *immolatitia*. Fuit moris apud Gentiles, ut peracto sacrificio, quę in altari, & ex mensa Idoli restabant, ad mensam hominum juxta altare, vel in templo positam transferrentur, & ex iis comedebant, qui victimas obtulerant, aut immolarant; sacroque hoc Epulo sacrificium claudebatur. Exemplum videre est apud Virgilium, postquam Æneas & Evander sacrificium perfecissent:

Tunc lati juvenes certatim, araeque sacerdos
Viscera tosta ferunt taurorum, onerantque canistris
Dona laborata Cereris, Bacchumque ministrant.
Vescitur Æneas, simul & Trojana juventus
Perpetui tergo bovis, & lustralibus extis.

Erat

Erat autem hoc Epulum ab Ethnicis institutum religionis causa. Hinc Cicero lib. 1. de finibus ait: *Atqui reperiemus Asotos primum non ita religiosos, ut edant de patella*, id est, ut edant ea, quæ Diis e cœna libata sunt. At vero Horatius inquit: ea se castitate & sanctitate ruri cænare, ut dapibus, nisi ante Deo libatis, vesci non soleat. Videntur sane ea in persuasione Gentiles fuisse, cibos honori Deorum consecratos, & quasi spiritu eorum afflatos magis fore salutares. Hinc homicidas ab extorum esu prohibebant, ut Aristophanes tradit; indigni enim sacris censebantur visceribus, qui aliena hominum viscera fudissent. Quod si ex sacrificio epuloque carnes adhuc essent superfluæ, secum domum asportabant, ut eas domesticis distribuerent, vel ad amicos transmittebant, ut ita absentes etiam sacrificii participes facerent; ut docet ex Herodoto Gyraldus; vel etiam, ut Herodotus in Clio asserit, ad macellum mittebantur vendendæ, quarum lucrum ad Sacerdotes pertinebat. Hinc Apostolus 1. Corinth. cap. 10. *Omne, quod in macello vænit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam*. Unde patet, Idolothyta secundum se esse adiaphora, nec vitiari in se ea, quæ Idolo oblata sunt. *Nam scimus* (ait S. Paulus) *quia idolum nihil*

est,

eſt, & quidquid eſt in mundo cibi, aut potus a Deo datur : nam *unus eſt Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum*, & nihil eſt extra hominem introiens in os, quod poſſit eum coinquinare: hinc omnia munda mundis.

Poteſt tamen eſus idolothytorum eſſe malus & vetitus. *Primo*, ſi fieret ex intentione Idolo præſtandi obſequium, aut etiam, licet non cum tali intentione, in Idolio tamen cum Gentilibus : eſſet enim quædam idololatriæ profeſſio : ut acceſſus Catholici ad cœnam Calviniſticam Apoſtaſiæ ſignum eſt. Tunc *ſatius eſt*, ut *S.* Auguſtinus ait *lib.* de bono conjugii cap. 16. mori fame, quam Idolothytis veſci. De S. Luciano ſcribit D. Chryſoſtom. „ quod eidem, cum fame diuturna eſſet „ cruciatus, appoſita fuerint Idolothyta, „ quæ tamen Sanctus abominatus eſt ; & „ licet intus magna voce ſolicitaret fames, „ & appoſita guſtare juberet, Dei timor „ manus reprimebat, & ut ipſius naturæ „ oblivíſceretur, efficiebat. „ De Valeria refertur in Faſtis Sanctorum 28. Aprilis, quod Mediolanum redux in idololatras inciderit Sylvano ſacrificantes, qui hortari eam ſunt acriter, ut de immolatis comederet; ſed illa: Chriſtiana ſum, ajebat, non licet mihi de ſacrificiis Sylvani manducare; imo nec quidquam tangere; qui-

bus

bus verbis commoti ad iram barbari ictus tam fatales eidem impegerunt, ut tridui ſpatio expirarit. Tertulliani tempore adeo Chriſtiani averſabantur ea, quæ Idolis oblata erant, ut etiam oculis horrerent reſpicere. *Si gulam* (ait Tertull.) *& ventrem ab inquinamentis liberamus, quanto magis auguſtiora noſtra oculos, & aures ab Idolothytis, & Necrothytis voluptatibus abſtinemus?* *l. de ſpectacul. c. 13.*

Quanto magis vero Fideles ſacras Ethnicorum epulas fugiebant, & execrabantur, eo vehementius, qua vi, qua dolo inſtabant Gentiles, ut de immolatitiis ederent Chriſtiani, & ſic eos ad aliquam religionis ſuæ communionem pertraherent. Hinc *Julianus* Apoſtata, ſummus Idolorum cultor, merito *Idolianus* a S. Gregor. Nazianz. appellatus (Orat. 1. in illum) cibos omnes in foro vænales ſacrificiis Deorum polluit, ut ſic Chriſtiani, niſi mallent fame confici, immolatitiis veſci cogerentur. Sed Theodori Martyris admonitu, loco panis, cocto uſi ſunt frumento; quod cum per hebdomadam factum eſſet, victus conſtanti Chriſtianorum abſtinentia Tyrannus, rurſus puros cibos abſque ulla labe in foro apponi juſſit. Idem ſit Catholico cœnæ Lutheranæ, ac Calvinianæ ſumptio, quod Idolothytorum comeſtio; & eligat potius Hermenegildi

ex-

exemplo vitam cum morte commutare, quam a sacrilega pseudominiſtri manu Communionem recipere.

Secundo: Illicitus eſt Idolothytorum eſus ratione ſcandali. Hic Apoſtol. ait 1. Corinth. cap. 8. *Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum. Tertio*: Ratione conſcientię erroneę, quia *quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Quarto*: Ratione præcepti vetantis talem eſum, quale Apoſtoli fecerunt Act. 15. Quod ſi nihil horum interveniat, veſci Idolothytis licebit. Sic narrat Thodoretus lib. 1. hiſtor. cap. 14. Cives Antiochenos ſubinde cibum, & potum in foro vænalem, quamvis a Juliano Diis immolatum, libere & ſine ſcrupulo manducaſſe, & bibiſſe.

Præter abſtinentiam ab immolatis, vetatur pręterea Gentilibus ad Fidem converſis vitium fornicationis: illam enim (modo citra alterius injuriam fieret) cenſebant paſſim Ethnici licere. Sic S. Ambroſius lib. de Abrah. cap. 11. teſtatur, Gentiles putaſſe meretricios uſus tanquam legi naturę ſuppetere. Imo ſapientiſſimi eorum non illos tantum, ſed infandas etiam pathicaſque libidines contra naturam ipſam approbarunt. Addit S. Chryſoſtomus, Solonem, alioſque Philoſophos non tantum pędaſteriam feciſſe, ſed & eam quaſi honeſtam laudaſſe, legibus ſanxiſſe,

xisse, & quasi artem liberalem commendasse, ut eadem uti possent non homines quicunque, servi v. g., sed liberi. Persuadebant sibi adeo libidinum exercitiis gratum Diis & Deabus obsequium pręstari posse, ut alibi satis hoc libello ostensum est. Hinc Gentiles stupebant castam Christianorum vitam & continentiam, quasi rem inusitatam, inauditam, & eo usque mundo ignotam, ut S. Petrus de Ethnicis testatur Epist. 1. cap. 4. v. 4. *Admirantur, non concurrentibus vobis in eandem luxurię confusionem*. Pronum inde est judicare, quantopere laborare debuerint Apostoli, ut hanc Gentibus persuasionem eximerent, probarentque vagum ejusmodi concubitum a ratione alienum, fini naturæ contrarium, cum periculo relapsus in idololatriam conjunctum esse, nec gratiam Spiritus sancti, nec vitam ęternam cum eo obtineri posse. Sex argumenta adducit S. Paulus, quibus vitium illud Corinthiis jam Christianis conatur dissuadere; quę videre poteris Epist. 1. ad Corinthios cap. 6.

ELEN-

ELENCHUS
TEXTUUM EXPLICATORUM.

LIBER GENESIS.

LIBER EXODI.

LIBER LEVITICI.

Cap.

LIBER NUMERORUM.

LIBER DEUTERONOMII.

LIBER JOSUE.

LIBER JUDICUM.

LIBER REGUM I.

LIBER REGUM III.

LIBER REGUM IV.

LIBER DANIELIS.

LIBER OSEÆ.

LIBER AMOS.

LIBER MICHEÆ.

LIBER HABACUC.

FINIS.